AD ARTEM DIALECTICAM, INTRODVCTIO BREVIS ET PERSPICVA

ſalibus et facetiis vndique aſperſa, *pro tyronibus & nouitijs elaborata:* omiſſis intricatis & ſpinoſis omnibus, *quæ illos retardare & impedire* ſolebant.

* *
*

Ioanne Argallo collectore, *Ædis Eccleſiæ* Chriſti, *in Academia Oxonienſi*, olim alumno, nunc apud Suffolcienſes, verbi *Dei Miniſtro*, *S.* Theologiæ Baccalaureo.

Audiamus, non diſerta, ſed fortia: Hieronym. de Inſtitutione Clericor, ex D. *Cypriano, Epiſtolar. lib.* 2. *Epiſtola,* 2. ad Donatum.

LONDINI,
Excudebat *Richardus Bradochus*, impenſis. *G. B.*



Elenchus eorum, quæ in hoc libro præcipuè explicantur.

Vtriusq; Academiæ adoles- centibus studiosis, & iuniori- *bus beneuolis, salutem plurimam.*

INITE me, per patientiam vestram (Iuuenes in Domino charissimi) paucis hic præfari: non enim habeo multa dicere, & quæ dicturus sum, non in meam, sed vestram vtilitatem facio præcipue, si vobis est ocium, & si placet audire.

Ante annos complures, cum in Academia Oxoniensi inuenis fuissem, *Ædis Ecclesiæ Christi Prebendarij*, ad instituendos, & informandos quosdam iuniores, in huius artis præceptis, me (nescio quem) adolescentem temerarium, ex amore potius, quàm iudicio, malè inconsideraté que elegerunt. Ego itaq;

pro consuetudine nostri Collegii, *Aristotelis Topica* cæpi audacius prælegere, quæ tamen nec Græce nec Latinè intellexeram, neque certè intelligo adhuc. In meipso illud verissimum comperi, quod de quorundam temeritate scribit Plin. iunior, homo doctissimus. *Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt, Epistolar. lib. octauo.*

Non tamen est hæc omnium earum conditio: commendat enim *Iunium Auitum, & Calpurnium Pisonem*, iuuenes verecundos & doctos. *Et Hieronimus pater, suum Nepotianum* laudat, adolescentem (pro ætate) insigniter eruditum & suauissimis moribus imbutum. Itaq; ne succenseatis obsecro. Iuueniles meos mores & audaciam ego hoc in loco depingo, omnes adolescentes, sine illorum magna iniuria, temeritatis condemnare non debeo.

Atque, in prælectonibus illis meis, Latiné aut vix Latine prolatis (pudet meminisse) Deus bone, quam negligen

ter

ter omnia percurrebam. *Dũmodo* enim aliquid dicerem & effutirem, tempusq; vtcunque contererem, officio meo satis bene functum mihi persuadebam: Dialectices verum vsum, neq; intelligebam nec multum de eo laborabam. *Profecto*, vt quod verum est, ingenue fatear, præterierunt aliquot anni, antequam huius verũ vsum cognoscere, aut quasi per rimulas aliquas perspicere potuerim Nũc vero & vtilissimã esse, & omnibus studiosis inuenibus percõmodam, & nobis verbi Dei Ministris, maxime necessariam, confidenter ausim pronuntiare: sine qua, *nec Prophetarum & Apostolorum neruosas* Conciones intelligere, nec aduersariorũ falsa & captiosa argumenta, commode retexere, & diluere poterimus. *Honestus quidem impetus est, vt dicit Plato, quod ad Eloquentiam illi rapiantur. Sed retrahendi aliquantisper, & exercendi potius in Dialectica, dũ sunt iuuenes, quod si non faciant, veritas eos effugiet.* Grauissima sunt hæc verba, & Platone dignissima, ideoque a vobis nõ

Plato in Parm.

con-

contemnenda.

Ego vero, quúm animum meum huic ſtudio primum applicuerim, duabus rebus impeditus fui, nouis ſcilicet & peregrinis huius artis vocabulis, & quorundam ſcriptorum barbarie, & impolito ſermone. *Dialecticorum peregrina*, & exotica verba, quamuis in ipſo limine vos offendere, & à proficiendo aliquantulum retardare poſſint, tamen noſſe debetis, in omnibus artibus & ſcientiis, talia eſſe debere, & legendi loquendiq; aſſuetudo, ea molliet & faciet ſuauiora. *Iuuenes* eſtis, laborate igitur, vt hanc vnam difficultatem (ad ſcientiam tam nobilem adipiſcendam) vincere poſſitis. *Quæ difficilia pulcra*, declinari & penitus hæc tolli non poſſunt

Milo. Mementote quid olim *Milo Crotoniates fecerit*, & præualuerit, *A*ut, ſi illud exemplum minus arrideat, D*emoſthenes* vobis in mentem veniat, qui, cum impeditioris linguæ fuerit, & in principio orator non bonus, *prœliatus eſt cōtra naturam ſuā, & victor abijt, tandemque labo-*

re

re suo illud effecit, vt omniū Græcorum meritò haberetur, eloquentissimus.

Quod ad alterum attinet, ostendam vobis quid ego, ad meam commoditatem fecerim: Quúm non Latine, sed barbarè multos eorum libros scriptos viderem, spinosis & intricatis quæstionibus & quidditatibus inuolutos (*Dorbellos, Scotos, Hispanos, Iauellos,* Egidios, *Lambertos, Tartaretos,* & eius fermenti similes) ego eos omnes deposui, et quasi, abiectaui. Latiniores, faciliores, doctiores, et ad vsum meliores elegi, quorum iam (per Dei gratiam) satis magnus et bonus est numerus, vndique venalis, non contemnendus.

Atque nuperrimè, cum forte rursus in *Iauelli* Logicam imperfectam incidissem, doctè & subtiliter, sed barbarè & impolitè scriptam, atque in prima libri fronte, illum *Chrysostomum* nominatum, & quasi de nouo Rebaptizatum cernerem, non potui me à risu continere. Quasi vero, disertus & eloquens pater *Chrysostomus* esset Iauello similis, aut *Iauellus.*

 Iauellus

Iauellus illi. Indignabundus, Hanc rem male tuli, plumbeum huius os aureo illius esse comparatum. *Desiderabam* in illo locos Topicos, et Sophistarum *Elenchos* videre. *Sed hæc* necessaria omisit, remittens, ad petrũ Hispanũ, lectores suos: cuius de locis et fallaciis librũ adhuc non memini me vnquam vidisse *Vos* itaque, tales *Chrysostomos* præterire poteritis, & meo exemplo cautiores et prudentiores esse si velitis, *Atque bene spero* me tãdẽ, post multos annos, aliquo modo legendo, meditãdo, et scribendo ea cognoscere, et in hoc paruũ volumẽ congessisse, quæ & mihi ipsi iam seni, et vobis adolescẽtibus, S, *Theologiæ* studiosis, breui et exiguo labore, aliquantulum proficere possint. *Et obnixè* à vobis omnibus peto, vt quæ hic, in rem vestram præcipue collegerim, candide accipere & in meliorem partẽ exponere et interpretari volueritis. Labor meus fuit, vtilitas vestra esse potest, si honesta et licita media non despiciatis.

Neque est mihi animus quenquam ab optimis

optimis autoribus tam veteribus quã modernis auocare, vt ab Aristotele Stagirita (nobili illo philosopho) *Porphyrio*, *Boetio*, *Ammonio*, *aut à Willichio*, *Porretano*, *Agricola*, Matthisio Philippo, Sturmio, Erythræo, Valerio Vltraiectino, *Barthol. Keckermanno* (quem honoris causa nomino) aut à nostratibus, viris doctis, & in hac arte multum exercitatis, Setone Monothalmo (quem ego Londini puer noui) Cartero, eius commentatore: Stanihursto verè generoso, *D. Caseo*, erudito viro, medicinæ doctore præstantissimo, & his similibus.

Sed vellem vos à facilioribus incipere: & suppositiones, *Ampliationes*, *Appellationes*, *Consequentias*, *Terminorum probationes*, & spinosa omnia, intricata, superflua, & sine fructu indissolubilia, relinquere & præterire. Nollem vos, pretiosum tempus sic conterere: Non sum longus, vt videtis, ne obrepat tædium. Illud enim Horatii Flacci, mihi bene placet.

Quicquid præcipies, esto breuis, vt cito dicta Horat.

Per-

Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Tentaui etiam, hic & illic, lepidis sermonibus et facetiis, vos delectare. Porrò, et exempla quæ adduco, omnia reddunt faciliora: sunt enim satis nota, et ex sacris literis plerunque petita. Nihil intentatum (pro meo modulo) reliqui, quod vobis vllo modo prodesse posse, arbitrarer. Potest hic meus qualiscunque labor, ad Aristotelem et alios classicos autores, vobis esse introductio quædam, si volueritis.

Vtcunque placuerit, vel displicuerit, nolite vos aureum hoc iuuentutis vestræ tempus malè perdere, aut procrastinare. Opportunitatem, boni Agricolæ nullo modo præterire volunt, quorum diligētiam laudabilem, et vos imitamini obsecro.

Sunt securi quidam homines, qui de sera *Latronis in cruce pænitentia*, multū sibi blandiuntur, sed periculose. Sunt similiter negligentes quidam iuuenes, qui literarū studiū, cum *Catone sene*, in senectutem differunt, sed inconsideratè

Luc. 23.

Facilius

Facilius et tutius eſt erudiri ; dum in Ephebia veſtra eſtis. Dico enim vobis, quod verum eſſe experiemini, tales Catones pauciſſimos vos inuenturos, et cum inueneritis tales, dolentes et conquerentes audietis, quod iuuentutis tempus ocioſè neglexerint: Itaque;

Dum vires, anniq; ſinunt, tolerate labores, **Ouid. 2. de Arte. ſcuruie**
Iam veniet tacito, curua ſenecta pede.

Valete (optimi et ſtudioſi iuuenes) et Deum precamini pro me ſene, qui veſtra cauſa inuigilaui: et qui aſſiduè ſoleam precari pro vobis omnibus. *Haleſwoorthiæ, Suff. Alingtoniorum nobilium, oppidi Mercatorij. Anno gratiæ, 1605.*

Ioannes Argallus.

Dialectica.

DIALECTICA, est ſcientia ſeu ars, de qualibet re propoſita, probabiliter diſſerendi, prout cuiuſque natura, capax eſſe fidei poterit. *Dialectico*, probabilitas, propoſita eſt, etſi non ſemper eam aſſequatur Orator bonus, non ſemper perſuadet, etiamſi *fuerit M. Cicero*. Medicus peritus non ſemper curat, etiamſi fuerit *Hippocrates Cous*, aut *Galenus pergamenus*. Hi, quamuis fines non ſemper attingunt, tamen docti eſſe poſſunt; & ſatis laudabiliter officium ſuum Præſtare, ſcilicet, ſi nihil eorum prætermittant, quæ ad artis ſuæ ſinem pertinent.

Apoſtolus Paulus apud Galatas, officium ſuum

ſuum fecit,& tamen verebatur. ne fruſtra inter eos laborauerit,Gal. 4. Auguſtinus pater, Hipponenſis Epiſcopus,bonus & vigilans paſtor fuit,& officium ſuum fecit:tamen,per hæreticos *Donatiſtas,Hippo* ciuitas, multum diſtracta & turbata fuit.Hoc, nos conſolari poterit,ſi diligentes fuerimus, etiamſi laborum noſtrorum fructus, & bonos exitus, ſemper non viderimus.

Huius,Duæ numerari ſolent præcipuæ partes,Inuentio,& *I*udicium: Inuentio quærit, quid quaque de re & quæſtione dici commodè poſſit. Iudicium prudenter perpendit, vtrum illud quod inuentum fuerit,cum regulis Dialecticæ conueniat,an non. Zeno Atheni-enſis,Philoſophus Stoicus, & vir doctiſſimus, manu ſua demonſtrare ſolebat differentiam, inter Dialecticam & Rhetoricam:ac *Dialecticam* compreſſis digitis,pugno:*Rhetoricam*, iiſdem deductis & explicatis, palmæ ſimilem eſſe dicebat,*Dialectica*, rigida eſt, & pugno ferit:Rhetorica mitior eſt,& quaſi palma ſua, caput demulcet,& placidè perſuadet.

Zeno,

Contigit (me puero) contentionem Oxonii, inter duos mihi tunc notos ortam fuiſſe, non de lana *Caprina*, ſed quis illorum melior Dialecticus eſſet.Ego, inquit alter:nam ego poſſum ſyllogiſmo probare, te Anſerem eſſe. Quomodo inquit ille? Hoc modo reſpondet

☞

alter,

alter: Anſer habet duos pedes, tu habes duos pedes, ergo Anſer es. Qui prouocatus fuit, neſciens quomodo ex hoc *Labyrintho* ſe expediret, ſocio ſuo magnam alàpam, pugno ſuo impingit: ſi Anſer ſum (inquit) tùnc dicere potes, Anſerem tibi bonam alapam dediſſe. Hic argumentabatur, vt videtis, non Rhetoricè permulcendo, ſed Dialecticè feriendo: Argumentum enim ſoluit pugno.

Dialectici, materiam quæſtionis tractandæ, ab aliis artibus mutuantur, ſed viam et Methodum tractandi, à ſeipſis propriè habent. Tractant Themata ſimplicia & coniuncta. Themata ſimplicia, vel quæſtiones ſimplices, ſunt ſimplices voces, vt ſapientia, virtus, *Theologia*. *Themata* coniuncta ſunt, ex ſimplicibus, compoſita, vt, an ſapientia ſit virtus ? An Theologiæ ſtudium ſit amplectandum? Simplicia, tractari poſſunt commodiſſime, *Di*uiſione: Coniuncta vero; Argumentatione.

Nullæ definitiones aut deſcriptiones, nullæque *D*iuiſiones, abſque prædicabilibus, & decem *Prædicamentis ſeu Categoriys*, cognoſci poſſunt: itaque de illis, aliquid eſt neceſſario dicendum. Et, quia Prædicabilia ex *Indiuiduis* & ſingularibus conſtant, earum natura, primum explicanda eſt.

Indiuidua.

Indiuiduum est(quasi velitis dicere) insectile et quod diuisionem non patitur. Qua generali acceptione punctum, momentum, et vnitas Indiuidua vocari à vobis possũt. Sed hoc in loco, Indiuidua vocari solent, nomina propria, & voces singulares, quorum quinq; sũt genera.

1\. Proprium cuiusque nomen, vt *Abraham*(fidelium pater) Moses, flumen Tamisis, Londinum, Oxonium mater: *Amabilis Cantabrigia*, soror.

2\. Per periphrasim, & circumloquutionem, vt Troiani belli scriptor, pro Homero: metropolis Galliæ, pro Parisiis: doctor subtilis, pro *Ioanne Duns*, scoto illo tenebricoso: doctor Angelicus, pro *Thoma Aquinate*(sic enim placet nostris Romanẽsib. loqui) Euersor Carthaginis pro nobili illo iuuene, *Scipione*: *Virginis* filius, pro mundi saluatore, Iesu Christo.

3\. Pronomen Demonstratiuum, vt hic & ille Homo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, *Mat*.17. *Hic est hæres, occidamus illum , vt nostra fiat hæreditas*, Luc.20. Et, nisi ego fallor, Aduerbium Demonstratiuum huc referri potest: vt, bonum est nos(Hic)esse. *Faciamus*(*Hic*)*tria Tabernacula*, *Mat*.17.

Per

Per Excellentiam, vt apostolus, pro Paulo: *Poeta*, pro Virgilio: Orator Romanus, *pro Cicerone*: Orator Græcus, pro Demosthene, & si vultis, Commentator, pro *Auerroe, Arabico*. 4.
Indiuiduum Vagum, & indeterminatum, vt *quidam homo descendit ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in Latrones*, *Luc*. 10. *Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem*, Luc. 16. Quicunque Indiuiduum vagum adfert, quamuis aliquod singulare velit, tamen perplexè & dubiè loquitur. Atque notate (boni Iuuenes) omnia indiuidua, naturam restrictissimam habere: ideoque inferiora nulla continere, quibus realiter tribui possunt. Hinc est (vt ego auguror) ea appellari Indiuidua, quasi dicatis, *indiuisibilia*, in inferiora. 5.

Prædicabilia.

Prædicabilia, sunt voces communes & generales, vt Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: quæ omnia sub se comprehendunt inferiora sua. Atque hic obseruate, nullam Metaphoram facere verum genus: vt, *Ecclesia est Arca Noe*: *Cæna Christi, est mensa Domini*. Verè hæc dicuntur, sed vera genera vobis non sunt dicenda. Metaphora enim, non dicit quid res sit, sed cui similis sit, quod vobis diligenter notandum est.

Horum prædicabilium doctrina, ad *D*efinitiones & Diuisiones multum conducit: quæ sine generibus & Differentiis confici aut intelligi, neutiquam possunt. *S*ecundo, horum adminiculo, propositionum & syllogismorum termini iudicari possunt, vt hinc, qui quibus in prædicando iungi possint, diiudicare valeatis. Nec, solidè inuentio *M*edii vel generalis, vel specialis, sine horum doctrina commodè fieri posse, certò cognoscatis.

Genus, habet sub se plures species: *S*pecies duplex est, media seu interiecta, & infima. *S*pecies infima, sub se plura Indiuidua: Species media (cum etiam genus sit & regi similis) habet sub se, alias species inferiores, quasi subditos & Vasallos suos, vt animal, hæc duo, Brutum & Hominem.

Quodcunque huic quæstioni, quid hoc aut illud apte respondent potest, est aut genus aut species: vt, quid est Paulus? Homo est: Homo, eius species est. Quid est homo? Animal: *A*nimal est eius genus.

Genus in suas species, Species in sua Indiuidua, vt totum in partes distributum, orarionis bonam copiam suppeditat, & memoriam, tum docentium tum audientium, mirifice iuuat.

Differentia triplex est, *C*ommunis, Propria, & maxime propria.

Com-

Communis, eſt accidens ſeparabile: hoc modo Socrates vir, à ſeipſo puero diſtat, & Paulus à Paulo. *Cum eram puer, loquebar vt puer, quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli*, 1. *Cor*. 13.

Propria, eſt accidens inſeparabile: Ita oculus cæcus differt ab oculo vidente, & homo abſque cicatrice, a ſeipſo poſtea cum cicatrice Cæcitas oculi, vulneris cicatrix, corporis ſunt accidentia inſeparabilia. Ebrioſi homines, non ratione ſed poculis contendentes, inter pocula, poculis ſæpe feriuntur & vulnerantur, vulnerati Chyrurgos quærunt, curati pulcrè cicatrizantur. Iactitent hi vinoſi homines, fortiter accepta vulnera ſua, oſtendãt & oſtentent multiplicatas cicatrices ſuas. Nolo ego ſobrius illiſcum, tale accidens inſeparabile poſſidere.

Maxime propria Differentia, certam ſpeciem procreat, & eſt Prædicabile, de inferiori ſpecie, & omnibus eius Indiuiduis prædicans in quale: vt, qualis eſt homo, aut qualis *eſt Ioannes a Deo dilectus*? *A*ptè reſpondemus, eſſe rationales.

Communis & propria *D*ifferentia, faciunt rem diſſimilem & diuerſam: maximè propria, ab aliis omnibus, non modo diuerſum, ſed aliud, aliam ſcilicet naturam & Subſtantiam, *Porphyr. de differentia, chap*. 3.

Differentia, alia Diuidens, alia Conſtitu-

ens. Diuidens, qua genus in ſpecies diducitur, vt rationale & irrationale, diuidunt Animal, in hominem & brutum. Itemque volatile terrenum & aquatile, eidem animali adiuncta, beſtias omnes ſeparant & diſtingũt. Nam beſtiæ omnes, ſunt aut volatiles, terrenæ, aut aquatiles. Quibus, quartum genus (Amphibium) addi poteſt, vitam degens, partim in terra, partim in aquis, vt *R*ana, Crocodilus, Teſtudines, Lacertæ, ſerpentes aliqui, ſed non omnes.

Differentia Conſtituens, addita proximo generi, non diuidit ſpeciem, ſed procreat: vt, ſentiens additum corpori animato, efficit animal: animal rationis particeps, hominem: rationis expers, ſeu irrationale, procreat beſtiam.

Omnis differentia Diuidens, eſt ſuperioris: Conſtituens, inferioris, vt rationale ad animal ſuperius, eſt Diuiſiua, ad hominem inferiorem, Conſtitutiua.

*P*roin, dominus deus Papa, ſuperiorẽ non agnoſcens, inter has noſtras *D*iuiſiuas, locum habere non poteſt. Alibi, eius egregiam perſonam, prout dignus & condignus eſt, reponemus.

Proprium, conueniens omni, ſoli, & ſemper: *S*oli ſpeciei ſuæ: omnibus eius ſpeciei Indiuiduis, & ſemper: vt homini riſibile, equo hinnibile

bile: aptitudinem denotans, non actum. Itaq; Porphyrius in Isagoge, hominis Propriū vocat, aptū ad risum, quāquam rarius actu rideat Quemadmodū de quodam *Crasso*, in Parthis interempto. & ob id, *Agelastū vocatum, Plinius* testatur, lib. 7. *cap.* 19. E*t vir sapiens, vix tacitè ridebit, vt apud* Siracidem *habemus*, ca. 21. Et tamen vir sapiens, semper risibilis est. Voces conuertibiles sunt hæc : Definitio, & Definitum: Differentia & sua species. *P*roprium similiter cum sua specie: Totum, & omnia membra diuidentia, simul sumpta. Crassus.

Accidens Prædicabile (*teste Damasceno*) seu Accidens commune, est, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quale : vt quales sunt *Monachi* P*apistici*? profectò, ociosi & luxuriosi patres. *S*ignāter, Argallus dixit patres, filios enim habent & filias, ad aliorum Caminos sese pulcrè calefacientes.

Definitur etiam Accidens esse, quod adesse & abesse potest, sine subiecti cui inhœret interitu, & tamen non sit eius pars, aut corporis aut animi eius.

Huius duo sunt genera, separabile & inseparabile: Accidens separabile est, quod subiecto suo, re ipsa facile detrahi potest, vt candor parieti, chartæ, panno, & similibus. Paries enim potest esse paries, quamuis non sit albus, & charta potest esse charta, quamuis atra.

Accidens inseparabile, quod re ipsa non potest separari, sed duntaxat cogitatione: vt, calor & leuitas ab igne, pondus à saxo, humor ab aqua, magnitudo & color, à corpore: sic etenim olim edocti fuimus. Incredibile forsan hoc vobis videbitur, ignem imaginari sine calore, saxū sine pondere, aquā sine humore, corpus sine magnitudine. Nisi velimus cum Poli sodalibus (vt est in *Erasmi spectro*) fateri nos immanem Draconem nescio quem, in nubibus imaginando videre, vbi nullus Draco videri potuit. Qui tamen, vrgente *Polo* (homine festiuo) & digito locum demonstrante, ne parum nasuti, aut inciuiles viderentur, fassi sunt se iam illocū, os igniuorum, caput, pedes, alas, & caudam tremendam, manifestè videre & contemplari.

Polus.

Audiui apud Oxonienses (me puero) Exorcistas & Necromanticos, præ cæteris habere fortes imaginationes. Quales (vt ego autumo) fuere, *septem illi filij, cuiusdam Seuæ Iudæi, principis sacerdotum, vt est in Actis Apostolicis, chap.* 19. Imaginentur itaque illi, ignem sine calore, saxum sine pondere, & aquam sine humore. Non est mea imaginatio satis fortis, vt hæc imaginari queam: Certe, Exorcista & Necromanticus non sum, neque per dei gratiam, vnquam esse volo.

Dicuntur Accidentia, de subiecto suo, in

concretis

concretis Adiectiuis, non in Abstractis substantiuis: vt, *Achilles Homericus*, est iracundus homo, & implacabilis, non autem rectè dixeris, Achilles est ira: *Orlandus est furiosus*, non furor, si propriè & aptè loqui voluerimus: *Hieronimus*, est doctus pater, non doctrina. Nemo hoc modo Latinè & purè loquitur.

Excipitur ab hac regula & *L*imitatione, *D*eus Opt. Max. qni non solum est misericors & iustus, sed ipsa misericordia, ipsa iustitia. Et, Christus deus, non solum est verax, sed ipsa veritas, in Abstracto. *Ego sum via, veritas, & vita, Ioannis* 14. *Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, Bernard. in Ascensione domini, serm.* 2.

Omne prædicabile, aut in quid, aut in quale prædicatur, non æquiuocè, sed vniuoce: sic enim Dialectici loquuntur. Vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, omnibus suis vniuocatis seu significatis, eadem est: vt, homo, bos, leo, equus, sunt animalis vniuoca vniuocata, quoniam in nomine, & in communi ratione substantiæ animalis conueniunt.

AEquiuoca, seu ambigua sunt, quorum solum nomen commune, definitio vero, seu ratio substantiæ, diuersa. Canis nomen, æquiuocum est, significans ambiguè, aut animal terrestre, aut sydus cæleste. Nomen canis, conuenit vtrisque

triſque his æquiuocatis, ſed canis ſubſtantia vtriſque illis conuenire non poteſt. Conueniant necne, minime curo: *Inter Canes* æquiuocos (qui nihil præter oſſa habent) cænare nolo. Inter vos (iuuenes) cænare in oppido volo, ſi quid boni cibi habetis. Ego enim vos, dialecticè inſtruo, & vos me ſenem, cibo veſtro reficere & exhilerare debetis.

Æquiuoca ſimiliter duplicia ſunt, AEquiuocantia, & AEquiuocata. *C*ancer, æquiuocans eſt: at animal Amphibion, morbus Cancer, & Cancer ſydus cæleſte (quæ voce cancri ſignificãtur) æquiuoca æqniuocata dici ſolent.

Rurſus dico, Genus & ſpecies in quid prædicantur, reliqua tria prædicabilia, in quale. Percontanti enim, quid ſit *Abraham*, aut quid *ſit Dauid*, homines eſſe bene reſpondemus, homo vero eſt ſpecies. Roganti quid ſit bos, aut quid ſit homo, animal eſſe apte dicemus: animal vero, hominis eſt proximum genus. Similiter, ſi quæramus, quale aliquid ſit, vt qualis ſit homo, per reliquorum *Prædicabilium* qualitates reſpondere commodè poterimus, eſſe rationalem (quæ eſt hominis differentia) riſibilem, (hominis proprium) doctum, indoctum, clementem, crudelem & truculentum, quæ eius ſunt accidentia & qualitates. *Irus ille Homericus*, qualis fuit? Pauper fuit, mendicus, ocioſus, & impudens nebulo fuit, *fruges conſume-*

re natus: pulcræ ſanè, & perbellæ qualitates. *Itaque Vlyſſis pugno* (domum reuertentis) percuſſus,cecidit,& ſicut magna beſtia (prout dignus fuit) humi proſtratus, vno ictu, magnus nebulo verberatus,mortuus fuit, ſepultus annon,me latet, neque profectò multū curo.

Cùm alterum de altero,tanquam de ſubiecto inferiori dicitur; quicquid de prædicato dicitur,id omne de ſubiecto quoque dicetur, vt Socrates eſt Homo,homo eſt animal, animal eſt ſentiens,ergo Socrates eſt ſentiens. Hæc regula,vocatur prima regula *Antepredicamentalis*,& valet in ordine eſſentiali ſuperiorum & inferiorum, in eadem Categoria. Habetque rationem Argumenti Soritis, de quo poſtea, dicendi locus commodior dabitur.

Secunda regula Antepræ dicamentalis, hæc eſt: *Diuerſorum predicamētorum diuerſa genera, diuerſas habent differentias , vt animal et ſcientia, Ariſt. in Antepraedicamentis* cap.primo. Hoc etiam , de eiuſdem Prædicamenti generibus , quæ diuiſione inter ſe opponuntur,intelligi poteſt: vt animal & planta,corpus & ſpiritus,quæ ſunt in ſubſtantia: Numerus & oratio,quæ ſunt in Quantitate. Quæ,tametſi in eodem Prædicamento ſunt,tamen non vnicam,ſed diuèrſas habent differentias.

Nullus Chryſippus,nullus Carneades,etiamſi Helleboro ſeſe purgaret, poteſt generibus adeo

deo diuersis, vnicam solam differentiam coaptare.

Predicamenta, seu Categoria.

Prædicamentorum doctrina, ipsa canicie venerabilis est, (vt notat *Barthol. Keckermannus*) ab Archita Tarentino, Pythagoræ discipulo (qui circa annum mundi, 3422. docuit) primum tradita, teste Simplicio, in præfationem super Prædicamẽta. Habentque ea vtilitatem magnam, quemadmodum mox audietis. Qua, vos iuuenes, nullo modo carere poteritis, si boni Dialectici esse velitis.

Prædicamenta hæc, seu Categoriæ, continent generum & specierum ordinem, secundum sub, & supra. Et numero decem solummodo existunt, non autem viginti, i. decem bona & decem mala, vt vetus Pythagoras voluit, quem admodum legere poteritis, *lib. pri. Metaphys. Aristotelis*.

In vnoquoque prædicamento, duæ sunt lineæ, recta & lateralis seu transuersa. In recta linea, ordinãtur genera et spẽs vsq; ad infima et specialissima: à latere locuntur differẽtiæ et discrimina. Hæc predicamẽta vocãtur *generalissima, suprema & prima*, quoniã nihil est illis Vniuocè superius et prius, et nunquã esse possunt species. Species vero infimæ, seu specialissimæ

ſimæ, quæ in infima cuiuſuis predicamenti ſerie locantur, nunquam eſſe genus, ſemper ſpecies, vt homo et equus. Species interiecta ſeu media, et genera eſſe poſſunt et ſpecies, vt animal et brutum. In toto hoc mundi theatro et Vniuerſitate, quicquid eſt et exiſtit aut eſt *Subſtantia*, aut *Accidens Prædicamenta le* vnde hoc vetus Diſtichon.

Summus Ariſtoteles, trutinans cacumina rerũ.
Iu duo diuiſit, quicquid in orbe fuit.

Generis ratio et inueſtigatio, eadẽ eſt in ſubſtantiis, et prædicamentis Accidentalibus quibuſcunque. ſiquidem; non minus accidẽtia quàm ſubſtãtiæ ordines ſuos prædicamẽtales habent, et per conſequens generũ et ſpecierũ tabulas diſpoſitas, ſi quis diligens lector eas voluerit quærere et inventas diſponere.

sed, id quod generi addendum eſt, et per quod præcipuè definitum determinatur, non ita eſt ſemper in Accidentibus. vt in ſubſtantiis. *Cõmentator* itaque benè obſeruat: *Qui dicunt (inquit) Accidentia non habere definitionem, minus dicunt quam habent: ſed qui dicunt Accidentia habere definitionem, plus dicunt quam habent*. Vtrumque enim, ſuo ſenſu, verũ eſſe poteſt. *Anerrois.*

Horum decem predicamentorũ vtilitas precipua, duplex eſt: *P*rimo, ex illis, omnium rerum attributa & prædicationes deſumuntur:

ſecundo,

Secundò, ad definiendum & diuidendum conducunt, ſine quibus, nihil in artibus, nihil in docendo, ſcribendo, aut in vita hac humana & fragili, commodè tradi pc teſt aut explicari. *S*ic *A*riſtoteles ipſe, Anim efinitionem quærẽs, eius genus ex prædicam s inueſtigat vtrum in ſubſtantia, aut in Qualitate, aut in Quantitate, aut in quopiam alio reperiri potuerit: Ariſt. 1 lib, de Animo. Hoc Ariſtoteles fecit, vt nos (cum res poſtulet) ſimiliter faciamus.

Nulla eſt vox, ſeu ſingularis, ſeu communis, quin commodè, in aliquo horum Prędicamentorum inueniri poſſit, his paucis, quæ in his verſibus ſubſequentibus ſequuntur, exceptis.

Vox artis, Conſignificans, Priuatio, Fictum:
Pars, Deus, Excedẽs, Complexum, vel polyſemus
Iſta Categoriis, haud poſſunt verba locari:

1. Voces artis, viz. vt meræ ſunt artis voces, ſeu voces ſecundæ intentionis, vt Genus, ſpecies, differentia, proprium, & Accidens, & multa plura his ſimilia. Qualia, non ſolum in dialectica, ſed in omnibus aliis artibus & ſcientiis, reperiri ſolent.

Res tamen quæ ſub his vocibus continentur, in Prædicamentis collocantur.

2. Conſignificantia, quæ ſunt plerunque indeclinabiles Grammaticæ orationis partes, vt

præpoſitio,

præpositio, Aduerbium, Coniunctio: & Interiectio.

*P*riuationes, nullam rem actu, sed potius rei absentiam significantes. vt Mors, *C*æcitas, Tenebræ. 3.

Ficta, vt triceps Cerberus, Chimæra, & nescio quis. S. Christophorus, trunco suo Abyssum penetrans, magnitudine & mole, Taurum Asiæ montem superans, & (Papyraceum) purgatorium papisticum, *Hardingo* nostro teste, de eius cognomine siquis Papicola subdubitare forsan voluerit. 4.

Pars, vt manus, pes, digitus, brachium, per se in nullo, sed ratione totius. 5.

Excedens, seu Transcendens, vt Ens, Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum (&, vt paululum hic iocer & meipsum recreem) Dominus deus noster papa, & similia, confusè & indiscriminatim, omnia ferè significantia, omnia fere discurrentia. 6.

*C*omplexũ i. tota oratio: quæ in nullo prędicamento inuenitur, nisi ratione partium, vt, *Moses fuit omnium, hominnm mitissimus, Num.* 12. Moses hcmo, in substantia: mansuetudo, iu Qualitate. 7.

Polysemus, vél Æquiuoca, seu ambigua, locum nullum habentia in vlla Categoria, nisi distinguantur in sua significata. *Æ*quiuocata sua, in prædicamentis, nidum inueniunt: 8.

Ipsa

Ipſa verò Equiuoca indiſtincta, vt ſal inſipidum, *vt peripſema & purgamenta Mundi, in ſterquilinum meritô eÿcienda ſunt.* 1 Cor, 4,

Quod vero ad deum Opt. Max. attinet, rectius à nobis, non ſolum ſubſtantia, ſed perfectiſſima appellari poteſt: niſi hoc melius placeat, nullibi includi, quia infinitus ſit, ſecundum illud *Salamonis, Ergone putandum eſt, quod vere deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto maius domus hæc, quam ego dedicaui? i. Reg.* 8. Dico igitur (pro meo modulo) & pronuncio, Cælum capere, comprehendere, & conſtringere incomprehenſibilem deum non poſſe, multo minus Subſtantiæ prædicamentum, hoc verè præſtare poſſe: ſequitur iam prædicamentum ſubſtantiæ.

Subſtantia.

Pythagoræorum ea fuit ſuperſtitio, vt nihil abſolutum putarent, niſi attingeret numerum Decennarium. Hunc ergo, numerum ſacrum, tum rerum principiis, tum etiam his prædicamentis aſſignarunt, vt *Simplicius* annotat. *Ariſtoteles* etiam, ne in philoſophiæ veſtibulo & limine, magni *Pythagoræ* diſcipulos offenderet, & auditores ſuos à ſe alienaret, hanc prædicamentorum decada, prudenter retinuit

Interim

Interim tamen ſatis probauit, decennarium hunc numerum, non ita ſtrictè ſe obſeruare. Siquidem illa quatuor vltima prædicamenta, ita leuiter & quaſi negligenter perſtringit, vt ea verius enumeret quam tractet. *Et lib.5. phyſicor.*ſex tantim repetat: reliqua tanquam minùs neceſſaria omittat, quemadmodum doctiſſimus *Keckermannus*, optimè expendit.

Atque de ſubſtantia agendum eſt primo, vt de omnium Categoriarũ perſectiſſima: Eſt enim omnium accidentium fundamentum & *Baſis*,à qua, nouem poſteriora ſuſtentantur: namque ſine ſubſtantia, eſſe non poſſunt.

Subſtantia,alia eſt prima & ſingularis, vt Indiuidua:alia eſt ſecunda, quæ eſt communium & vniuerſalium,vt homo, animal, corpus:beſtia,vt leo,& tardus Aſinus,*animal(ſcilicet)auritum,ſolidis & ſtolidis pedibus incedẽs & fæcundum,facundum non audemus pronunciare.*

Subſtantia prima, propriè,principaliter, & maxime ſubſtare dicitur, *vt Socrates*, P*lato*, quæ neque in ſubiecto eſt,neque de ſubiecto vllo dicitur.Et,niſi hæ ſingulares & Indiuiduales ſubſtantiæ eſſent, ſecundæ ſubſtantiæ generales non eſſent neque exiſterent.

Subſtantia,alia corporea,alia incorporea:Corporea,ſimplex et concreta.*I*ncorporea,vt ſpiritus

ritus cuius tria ſunt genera, *Deus, Angelus*, *et Animus hominum immortalis*. Angeli boni, vt Raphael, Gabriel, Michael. Mali, vt Diabolus, viz, Beelſebub, Legion, & horum ſimiles. Tabula hæc proximè ſequens, vobis hæc omnia melius demonſtrabit.


Substantia
Corporea.
Simplex.
Atherea, complectẽs orbes & corpora Cælestia, vt stellas
Fixas, in Firmamento, loco remotiari
Mobiles seu Planetas, in orbibus suis inferioribus, vt Mer Ven. Sol. lunam, &c.
Elementaris, Ignis, Aqua, Aer, & Terra.
Concreta.
Animata.
Sentiens, vt animal.
Ratione præditum, vt homo.
Rationis expers.
Volatilia, Terrena.
Aquatilia, Amphybia.
Sensus expers.
Arbor, vt Quercus, & patula Fagus.
Dumetum, vt Spina, Vepres.
Herba, vt Lactuca, & nobilis Angelica.
Inanimata.
Perfecta, vt
Fossilia
Metalla
Lapides
viui
Cocti.
Fluentia, vt liquores, Pix Resina, Terebinthus.
Imperfecta, vt Meteora omnia, Nix, Grando, Fulgur, Tonitrua, &c.
Incorporea.
Deus, qui est omnium perfectissima, & Essentia incorporea.
Angelus.
Bonus, vt Raphael, Gabriel, Michael.
Malus, vt Diabolus, serpens ille antiquus, accusator fratrum nostrum, in pace subdolus, in persequutione violentus. Cypr.
Animus hominis Immortalis.

Metalla hæc, quæ inter ſubſtantias inanimatas perfectas numerantur, præcipua hæc ſunt, Aurum, Argentum, Es, Stannum, Ferrum, Plumbum. Inter quæ, *Aurum & Argentum* præcipue laudo, & extollo, quemadmodum eorum locus & dignitas requirunt, eaque reliquorum Reginam & Dominam pronuncio. Sed, ea non poſſideo, neque profecto multum curo, ne cum poſſideam ea, poſſidear ab eis. *Omnium enim malorum radix, eſt Philarguria*, 1, *Tim.* 6. Dicam enim vobis, quid mihi in pecuniis paucis reſeruandis, ante triginta annos, male contigit. D. *Ioannes Delaberus*, ſeu de la Barr, (ab antiquis Normannis, ante quingenta annos, ſi velit, proſapiam deducens) verè generoſus, nunc apud Eboracenſes, Medicinæ doctor eruditiſſimus, mihi in agro deuonienſi, Rectoriam de Cadleigh (non procul à ciuitate Exonienſi) comparauit, In quam *cum Inſtitutus & Inductus* in realem poſſeſſionem fui (ſic enim loquimur) *ex Decimis meis*, quædam vendidi, nummoſque inde prouenientes, ad tempus aliquod; cum Euclione, in Olla mea reſeruaui: volui enim eſſe diues. Qui adeo me, dum illos haberem, die noctuque diſcruciabant, ne ſcilicet veteres illi fures, inter *Hieruſalem & Hiericho deſcendentes, fores noſtras* effringerent, & propter *Mammon iniquitatis*, me ſemiuiuum relinquerent, vt

profecto nunc mallem cum Biante, absque illis esse, quàm cum illis malè perire. Eãnt itaque (in malam rem) quocunqne voluerint: volente deo, *Argallum* senem, non cruciabunt amplius. *Auream mediocritatem*, quam auri copiã (si velitis credere) potiùs exopto & desidero. Hæc itaque Horatii carmina suauissima, mihi optimè placent.

Horat. Carm. lib. sexto.

Aureã quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tect', caret inuidenda.
Sobrius Aula.
Sepius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq́ summos
Fulmina montes.

Abraham, fidelium pater diues fuit, Sed petrus, Christi Apostolus, pauper fuit. *Argentum (inquit) et aurum, non habeo*, *Act. 3*. *Bonus* Lazarus et pauper et mendicus *fuit Luc. 16* Iro Homerico pauperior, sed multo honestior Hoc itaque, paupertatis nostræ acerbitatem lenire potest, si consideremus, non solum diuites, sed pauperes & mendicos, ad Regnum dei pertinere.

Huius Substantiæ, quatuor sunt proprietates: Primo, nulla Substantia, aut prima aut secunda est in subiecto vllo: quia, inesse subiecto, Accidentis est, non Substantiæ, Quæ, vt

Corban

Corban Iudæorum, aut Fiscus papæ, omnia recipit, & ad se corradit Secundo, vna substantia non est alteri, verè contraria. Inter eas, Oppositio qualiscunque esse potest, vera contrarietas, nunquam. Tertiò, Substantia nostra, non suscipit magis & minùs. Sic, homo infans, aut Pygmæus bipedalis, non est minus homo, homine viro & adulto, Sicque magnus Hercules, cum Leonino pelle, & fusce terribili, *aut Gigas Golias, de Geth Philistæus incircumcisus altitudinis sex Cubitorũ & palmi, 1. Sa* 17) non magis homines sunt, quam *paruus Zacchæus, aut paruus Dauid*, inter omnes fratres suos (quasi Apostolorum minimus) & ab illis inuisus & odiosè contemptus. Tamen maius & minus suscipere dicimus: omnes enim substantiæ, non sunt eiusdem magnitudinis.

Quarto, quamuis illi nihil sit vere contrarium, tamen substantia nostra, est contrariorum susceptibilis: planè loquor, vt intelligatis Homo enim, aliquando bonus, aliquando malis, imò pessimus: eademque manus, aliquando frigida, aliquandò calida est, quæ verè contraria sunt.

Quantitas.

Hoc Quantitatis Prædicamentum, nunquã intellexi iuuenis, neque profectò adhuc intel-

ligo, ſenex. Atque bene nemini, me barbatulum, ſemper vereri Mathematicos noſtros, de hac Categoria mecum diſputantes, ne ad Abſurdum, ſeu ad (non plus) vt loquuntur, in hoc agro ignoto, me adigerent.

In hoc prædicamento difficili, apud nos Oxonienſes, ſeſe perdidit, ſubtilis ille diſputator *Wardus*, *qui á reuerendo patre, Thoma Cranmero* interrogatus, an Chriſti Corpus, ſecundum veras corporis Organici dimenſiones, eſſet in Sacramento Altaris, multa enarrans, neſciens quomodo ſe expediret, tandem hoc modo rem controuerſam pulcrè concluſit, Chiſti corpus in ſacramento Altaris fuiſſe (*Quantum*) ſine modo (*Quantitatiuo*) quam reſponſionem, neque ipſum, neque vllum alium intelligere arbitror.

VVardus.

☞

Scio huius Categoriæ cognitionem, Mathematicis multum conducere: nobis vero Theologis, non eſſe ita neceſſariam exiſtimo, aut ſi fuerit, eius plena vtilitas, non adhuc mihi cognita eſt. Niſi forſan, ad intelligendam *Arcæ capacitatem*, *Gen.6. aut ad Templi Salomonis ſtructuram & Symetriam melius intelligendam (cuius Rex Salomon meminit*, 1.*Reg.6. & poſt eum, propheta Ezekiel, cap.*40) aliquantulum proficere, arbitrari debeamus. Aliquid tamen hic, de illo dicendum eſt, *ne Academici noſtri* meæ fidei committens decem Prædicamen

ta,

ta, me aut clanculum furatum esse, aut negligenter vnum perdidisse, merito vociferentur. Hoc itaque est, quod *de Quantitatis* Categoria, habeo dicere. Sin vero quæ dicturus sum non placeant, mementote obsecro quid nuperrime fassus fuerim, Quantitatis Categoriam me nunquam intellexisse : hoc ego ingenuè agnosco, vos itaque quæso, ignoscite.

Quantitas, rerum omnium Magnitudinem, & Multitudinem seu numerum complectitur. Cuius, alia est coniuncta seu continua, alia Disiuncta seu discreta. Coniuncta, vt linea, superficies, corpus, locus, & tempus. Disiuncta, vt numerus & Oratio. Linea, ex punctis: superficies ex lineis, corpus ex superficiebus constat. Aristoteles, huic minutulo puncto (quo nihil esse potest minus) duo officia verè tribuit: primò, quod magnitudinem continuet, secundo, quod terminet & ad finem & periodum, eam perducat. Huius magnitudinis (in diuitiis accumulandis) continuationem & progressum, in infinitum vsque optant auari homines, quia insatiabiles sunt. Habeant itaque puncta infinita, sed præter puncta, nihil habeant, obsecro Locus arctus & spaciosus, proprius vel communis, in quo locatum & corpora continentur. Tempus breue, longum, præteritum, præsens, futurum. Huc refertur Annus, eiusque

partes, Ver, AEſtas, Autumnus, & Hyems.

Poma dat Autumnus, formoſa eſt meſſibus æſtas
Ver præbet flores, igne leuatur Hyems.

Ouid. de Rem lib. primo.

Omnis Quantitas Coniuncta, ſubſtantiam menſurat per lineam, ſuperficiem, perque has tres corporis dimenſiones, Longitudinem, *L*atitudinem, & profunditatem, perque locum & tempus. Locus eſt ſuperficies corporis continentis, & circundantis locatum. Videtis itaque (iuuenes) ſi animaduertatis, locum locatum ſuum metiri & commenſurare. Tempus etiam, eſt menſura Subſtātiæ mobilis, quatenus eſt in motu, non quieſcens. vid. præd. Quando, de quo poſtea.

Corpus ſolidum & materiatum, eſt in Prædicamento Subſtantiæ: Mathematicum corpus, cum hac ſua trina dimenſione, Longitudine Latitudine, & Craſſitie, in hoc Quantitatis prædicamento elocandum eſt. Quæ tres dimenſiones, reſpectu Subſtantiæ, accidentia dicuntur, ſed inſeperabilia: reſpectu Quantitatis, differentiæ & Diſcrimina.

Diſuncta, ſeu Diſcreta Quantitas, duplex, eſt, Numerus & Oratio: Numerus, eſt vnitatū collectio, ſubſtantiam ſimiliter numerans. Nam, per numerum Denarium, decem lapides, aut decem homines numerare poterimus, & per quaternarium, Elementa quatuor.

Numerus, vt Duo, quinque, decem, centum,

mille,

mille,& mille decem. Itaque, *decies mille Talentorum, cuius Matthæus* Euangelista *meminit, cap.* 18. *à rege Munifico, seruo suo nequam & malo*, remissum & condonatum, huc aptè referri potest;

Arithmetica, omnis generis numeros tractat, & in illis, tanquam in propria subiecta materia, versatur: cuius scientiæ aliquam noticiam, non solū Dialecticæ candidatis, sed etiam omnibus hominibus maximè necessariam esse, nemo sanæ mētis inficiari potest. Digitos enim tuos, sine hac, numerare non potes.

Oratio, pro voce, quæ aurium sensum mouet, & à nobis auditur, est in tertia specie prædicamenti Qualitatis. *Stentoris Homerici vocalitas*, quæ tanta esse dicitur, quanta aliorum quinquaginta,

Magno si quicquam credas Homero.

Huc pulcré referri potest, & in hac parte Categoriæ, locum habere suum. Sin vero hæc oratio accipiatur, pro vocum & syllabarum longarum breuiumque dimensione, ad Poetas & Musicos spectante, ad hanc Quantitatis Categoriam, iure suo referri debet. *Iuuuenal.*

Adeste itaque huc, ò vos mendaces & indocti Poetores, qualis Chærilus fuit, & huc intromittemus vos. Exclusit vos de Repub. sua, *Diuinus Plato*. Mitius vobiscū hic agemus, Dialectica nostra recipiet vos, modo velitis esse

pacifici homines. *S*atyrica vestra carmina, vibranda sunt & contorquenda, non in bonos, sed in malos & pessimos homines. Hoc fecerunt veteres *P*oetæ boni, si eorum vestigia sequi volueritis: *Tertullianus*, vetus pater, vobis non fauet: dicit enim *libro de Anima*, *Poetis, nec vigilantibus credam*. Et ex vestro sodalitio non postremus homo, vos cum pictoribus comparat, & ambos mendaces affirmat

Pictoribus atq; Poetis

Horat. de Ar. Poetica *Quilibet audendi semper fuit æqua potestas*:

Fuerunt itaque illorum ætate, multi mendaces & somnolenti poetæ, vt olim & nunc, multi inter nos, plus satis pruriginosi scriptores, Poetores & Poetridæ, quamuis non omnes. Excipio enim (honoris causa) *Galfridum Chaucerum* (*Homerum nostrum*) *Ed. Spencerum, Sam. Danielem, Mich. Draitonum & quosdam alios*.

D. Philippum Sidnæum, equitem Auratum, virum nobilissimum, inter Poetas enumerare non audeo: quamuis in Poesi, nemini secundus fuerit. Ponamus eum potius inter *P*roceres optimos, prout optimè meritus fuit. Heroum veterum expressam imaginem, Orbis miraculum, in bello magnanimum, in pace prudentem. Cuius virtutes eximias admirari, assequi vix vnquam poterimus. Ad alias igitur res festinet oratio nostra.

Punctum,

Punctum; est principium lineæ, & vnitas seu vnum, principium Numeri, vt modo diximus. Omnis enim numerus, ex vnitatibus consistit: hæcque duo, in hoc Quantitatis prædicamento non sunt per se, sed respectu Lineæ & Numeri, quorum principia sunt.

Mensurarum & ponderum nomina, quibus vel liquida, vel arida, vel quodcunque aliud metiri soleamus, qualia sunt Amphora, Congius, Tricongius, Sextarius, & Modius: Porrò & Vncia, Semis, Libra, Triens. Similiter passus, stadium, Leuca & Vlna cum Pertica (sexdecim vel octodecim pedes longa) hiisque similibus, huc pertinent omnia.

Et, quoniam de ponderibus & mensuris verba facimus, cauendum nobis diligenter, quomodo in vendendo & cômensurando metiamur fratribus nostris, vt iustè illud faciamus absque fraude & dolo malo. *Statera iusta, modius iustus, æquusque Sextarius, ego Deus.* Ne, dum modius & libra in Quantitatis prædicamento locum habeant, nos locum inueniamus in Prædicamento Infernali, cum Diabolo & Angelis eius, vbi tenebræ sunt, lacrymæ, & stridor dentium. *Abbominatur enim D. Deus noster eum, qui talia faciat*, Deut. 25, Ponderibus, & mensuris suis malè proficiunt, qui metiendo & mentiendo, Gehennam & Orcum sibi comparant. *Exod 19.*

Sterilis

Sterilis profundi vastitas squalet soli,
Et fœda tellus torpet æterno situ,
Rerumque mæstus finis, & Mundi vltimus:
Senec. Her. fur. *Immotus Aer hæret, & pigro sedet*
Nox atra mundo, cuncta mœrore horrida,
Ipsaq; morte, peior est mortis locus.

Melius foret cum *Dyogene Cynico* oleribus vesci, quam hoc modo ditescere, & postea cum *Cacodæmone*, inferorum æternas pænas male experiri: Itaque, cauete.

Quantitatis, tres sunt proprietates: primo, illi nihil est verè contrarium. Secundo, non suscipit ea hæc Aduerbia, magis & minùs: maius & minus suscipere, non negamus. Triangulum enim, non est altero magis & minùs triangulum, licet maius & capacius, vel minus & arctius esse possit. Tertiò, maximè proprium est Quantitatis finitæ, secundum eam, æquale aliquid vel inequale dici. Infinita vero Quantitas, quasi *P*apa transcendens, Monarcha Mundi, superiorem non agnoscens, hisce legibus non vult teneri, & constringi.

Scholastici quidam scriptores, nescio qua valida ratione permoti, quantitatem sextuplicem faciunt, scilicet Magnitudinis, Multitudinis; Ponderis, Perfectionis, Durationis, & Intentionis. *S*ed has sex, ad antedictas species ante recitatas posse referri, *doctissimus Keckermannus* probabiliter putat.

Qua-

Qualitas.

Qualitas,est forma accidētalis, qua res aliqua(*Qualis*)appellatur,vt fortitudo,prudentia,auaritia,superbia,& similes,à quibus qualitatibus & Attributis , homines vocantur fortes,prudentes,auari,superbi:vt,fortis Dauid prudens Socrates, & prudens Cato : auarus Laban,Tarquinius superbus,superbus rex Herodes,*vermibus corrosus, à quibus consumptus expirauit*, *Act.cap.*12.

Qualitas,est omnium Accidentium copiosissimum. Nullus est enim naturæ angulus, quin suis quidem variis abundet qualitatibus. Quicquid audimus,videmus,gustamus,odoramus,palpamus,id omne, accidentalis qualitas est. Vnde,qualitatum hanc cognitionem,Physicæ partem maximam & potissimam continere,ego arbitror:igitur, & valde vtilem esse, nemo negare potest.

Huius Qualitatis,quatuor solent recenseri species:prima est,Habitus,& Dispositio: Secunda,naturalis potentia,& impotentia:tertia Passio & Passibilis qualitas:quarta,Figura,& Forma . Habitus adimpletus est, tempore, 1.
diuturnitate,labore & vigiliis acquisitus, & in subiecto radicitus inhærens, vt virtutes Morales,& Artes omnes.

Sunt

Sunt alterius generis virtutes, quæ apud scholasticos Theologos (satis aptè) vocantur Theologicæ, vt *Fides, Spes, Charitas,* quæ infusæ dicũtur et a Deo immensa sua erga nos bonitate *& Philanthropia,* absq; nostris laboribvs & vigiliis (tanquã causis) dãtur & infundũtur gratis. Ita tamen distribuuntur, vt nostra diligẽtia & licitis mediis retineãtur, & nostra socordia & supina negligentia, meritò deperdantur.

Dispositio, est habitus inchoatus, diturnitate tantum ab habitu distans, estque gradus & via Regia, ad habitum. Vitiorum itaque Anfractus & Angiportus relinquamus, & Regia hac via, *cum Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribus Manasse, ante fratres nostros, in terram Canaan. i. in Cælum, Ios.* 1. ad hos virtutis præclaros habitus, feliciter & animosè progrediamur.

Naturalis potentia, vt in Cicerone puero, procliuitas ad ornatè dicendum, quæ postea in
2. habitum conuersa est: vt, in Alexandri Magni pueritia, aptitudo ad bellum, & res arduas & maximas subeundas. Naturalis impotentia, seu reluctatio naturæ, in subiectis imbecillioribus: vt indocilitas in tardis & stupidis ingeniis, & inagilitas in valetudinariis & impotentibus. Itaque, Nabal stolidus fuit, & ad bonos & civiles mores, incompositus: & *Miphiboseth,* filius boni Ionathan (*quia à natiuitate*

claudus

claudus) 2.*Sam*.9.13.ad Paleſtritem, ineptus.

Paſſiones, vel Perturbationes, vt metus, triſticia, dolor gaudium, et horum ſimiles quę ſũt aut *Animi aut Corporis*. Et paſſibilesqualitates Latinius, qualitates afficientes, Non quòd eæ patiantur aliquid, ſed quod inferant paſſionẽ et affectionem ſenſibus, nonnunquam triſtem & melancholicam, nonnunquam hilarem læ- tam et iucundum, 3.

Paſſibiles Qualitates
- Oriuntur, à perturbationibus, vt
  - Pallor, ex metu
  - *Inſania*, ex triſticia.
- *Sunt* obiecta *S*. ſenſuum quos varie afficiunt, vt,
  - Colores, viſum:
  - Soni, auditum.
  - Sapores, guſtum
  - &c.

Figura inanimorum vt. ⊙. □. △. *Porrò*, et literarum, vt *A.B.C,D*. et numerorum characteres, vt. 1,2.3.4.5. omneſque figuræ quas tractat *Mathematicus*, vt Sphæra, Globus Triangulus, Aſtrolabium, Cylinder, Quadratum, &c. 4.

Forma animalium externa, hominum & beſtiarum: vt, *Therſitis* forma informis, et *Helena* pulcherrima et formoſiſſima. Nam forma interna, ad Subſtantiæ Predicamentum referri debet.

Hanc figuræ et formæ differentiam *in Boetio* legere poterius itaque noua inuentio non eſt.

Hæ qualitatis quatuor ſpecies, non ſunt infimæ

mæ,ſed *S*ubalternæ et interiectæ, quoniam harum quelibet habet ſub ſe,ſpecies ſuas,Paſſibiles,ſeu Patibiles diuturniores ſunt & ſtabiliores:Paſſiones, breuiores ſunt, temporariæ, et facilè mobiles .Hinc eſt,quod frater *Titelmannus* verè dicat,qualitatem patibilem et paſſionem,gradibus tantum differre,ſicut diſpoſitio et habitus. *Achilles* Homericus,homo fuit iracundus implacabilis.*Euſebolius*,leuis et inconſtans Chriſtianus,mutabilis vt Chamæleon,mutabilis vt luna. Hæ, ſeu patibiles ſeu paſſibiles qualitates, malæ fuerunt quas non imitari,ſed declinare debetis.

In his Qualitatis ſpeciebus,hæ tres,ſeu proprietates ſeu cōmunitates velitis dicere, à vobis obſeruari poſſūt, viz, *Cōtrarietas Magis* et Minus, *Simile et* Diſſimile:vt,hic Homo albus,ille ater,et carbonario ſimilis.Et cōparatiuè,hic albior, hic nigrior illo:vt atrē Ethiopē eſſe profectò iuraueris.Hic,fidē habet magnā et cōſtātem:ille, imbecillam et languidam, vterque (per Dei gratiam)veram, ſi tamen non Hypocriticam:*Credo* D*omine*, *ſuccurre quæſo incredulitati meæ*, *Marc. cap. nono.*

Tertio,ſecundum ſolas Qualitates,res dici ſimiles vel diſſimiles: vt,album albo ſimile,& nigro album diſſimile . In ſubſtantiis verò, magna & multiplex illa quam oculis cernimus ſimilitudo vel diſſimilitudo & varietas,

non

non eſt reſpectu ſubſtantiæ,ſed ratione diuerſarum qualitatum, ſubſtantiis ſuis variè, & multipliciter inhærentium:huc itaque referri debent.

Relata, ſeu ad Aliud.

Quartum Prædicamentum,eſt Relatorum, & eorum Correllatiuorum eis correſpondentium:quorum vis omnis & natura, ad aliud refertur,vt ſine alrero,alterum eſſe non poſſit vt,Pater & filius, *Rex & Regnum*, *Maritus* & vxor,*Magiſter* & Diſcipulus,*Dominus & ſeruus*

Socratis Zantippa, in hoc Prædicamento Relationis,locum vendicat ſuum, quia vxor, quamuis moroſa & garrula. Talem etenim eam fuiſſe, prudens Socrates expertus eſt. Habeat hic,hæc,& hoc(ſi velitis) in loco,locum ſuum obſecro, quis eam prohibere poteſt? Meliorem ſortem qnam hanc prædicamentalem habere non meretur,niſi ſubſtantiam peſſimam velitis eam denominare.

Relata ſecundum,
- Eſſe
  - Relatiuum, vt Pater
  - Correllatiuum, vt filius.
- Dici,& impropriè Relata.

Relata ſecundum Eſſe aut actu *R*elata,vel proprié dicta Relata,nudos alterius ad alterum reſpectus et habitudines conſiderant,et quæ ſine mutua ad inuicem collatione intelligi non poſſunt.

possunt. Quæ conuersio et reciprocatio in genitiuo casu fit aptissimè, vt pater est filii pater, & filius est patris filius. Hæcque simul sunt natura, quorum posito aut destructo altero, ponitur aut destruitur alterum: hæc enim est Relatorum secundum (Esse) natura & conditio *Aristoteles* multa verba habet, de *R*elatis secundum (Dici) *P*latonis præceptoris sui, opinionem introducens in scænam, de ea disputans, non tamen definiens: sed eam (vt decebat) examinandum & aliis discutiendam, in medium relinquens.

Relata hæc, secundum (*Dici*) vocantur Relata potentia, & impropriè dicta Relata: loquendi vsu & consuetudine non bona, vocantur Relata, sed reuera, Relata logica non sunt æstimanda. Nam, in omnibus Prædicamentis reperiri possunt, & quorum vsus non est magnus, aut saltem huc vsque, mihi non benè notus.

Huc referri possunt, *Dignitatum, Officiorum Cognationis, Affinitatis & Ætatis* vocabula, quæ ad aliud referuntur, & collata cum aliis, intelliguntur meliùs. Et notate, quod sex quæ sequuntur Prædicamenta, ad Relata impropriè dicta, seu secundum (D*ici*) referri posse, Aristoteles scribat. Itaque, vt ego vaticinor, Aristoteles de illis omisit aliquid tractare. *Gilbertus verò Porretanus, doctè suppleuit* ea,

quæ

quæ ſex principia nominauit.

Actio,

Quintum prædicamentum,eſt Actio,operatio ſeu Effectio,quæ eſt ſubſtantiæ agitatio, viriumque eius velut effluxus &exequutio,

Ad hanc claſſem omnia referuntur, que agē-di ſignificationem habent,ſeu in hominibus ſeu in beſtiis :vt, intelligere,recordari, loqui, ridere,flere, arare, paſcere, triturare,mugire mouere,proficiſci,reuerti,& Tugurium & dolium noſtrum,cum D*iogene Cynico* iterum repetere et poſſidere. Vt proficiſcar in exteras Nationes ſed rurſus(Per dei gratiam)reuertar domum. Profecto, dulcis eſt patria et *domus amica* i. propria domus, non aliena. *Hic nāqua* (ad libitum meum)cum D*iogene*,prandeo quando volo, hac in re *Platone* fælicior, qui prandet quando *Dyoniſio* placet.Hic comedo, bibo,dormio,obdormio,caput pecto& caput ſcalpo:ſudorem abſtergo, alliū eructo,pedio, &(dempta *Iota*) quod reliquum eſt facio. Hoc,alibi quam domi noſtræ facere,eſſet forſan in librum(D*e Ciuilitate morum*) impingere. Hic,me exuo, induo,mando, remando, impero , domi meæ regulus ſum, aliò proficiſcens,nullus .Argallum ſenem, foras nemo agnoſcit.

Argalli Naumachia.

Quod, mihi nauiganti, & apud *Hybernos Australes in Monania*, ante viginti quinque annos, paruo tempore commoranti, bene exploratum fuit. Periculum à sæuo & inclemente mari, periculum ex mutatione aeris, periculum à potu acido, & cibis salsis, periculum à lectulis & stratis (*male profecto stratis*) periculum à falsis fratribus, i. à vermibus *et pediculis*: qui non vocati, veniunt ad nos, mihi non pepercentes, donec rursus domum redierim, & meam Zantippam salutauerim. Apud has bestiolas, nullus personarum respectus. *Sanctum Franciscum, immo ipsum S. Patricium* (vt ego arbitror) non agnouissent, si nobiscum hoc tempore nauigassent. Itaque, in Moluccas illas decantatas, in Iauam & Iaponiam celeberrimas, per (*CAPVT BONÆ SPEI*) tremendum illud Promontorium Australe, nauigent & circumnauigent quicunque volunt. Ibi, si placet, Polum Antarticum, & nouas eius noui orbis stellas spectent & philosophicè contemplentur. Exerceant illic nostri Iesuitæ, (noui fratres) nouam mercaturam suam. Conuertant illas Gentes ad fidem suam, id est, conuertant Aurum, Argentum, Vniones, & pretiosa Aromata, in fiscum, discum, & Corban suum, vt magistro suo Iesu (cuius nomen suffurantur) dissimiles sint, qui fuit pauperrimus. Quod ad me attinet, plus satis est, quod

Hyberniam

Hyberniam propinquam ſemel viderim, & bis atque iterùm apud illos, nauticè concionatus fuerim. Senex iam ſum, nauigent alii: ego (quo nunc ſum animo) nauigare amplius non deſidero. Ex Virgilio, aliam Cantilenam iam occinere, aſſueſco, ſcilicet,

Nos, patriæ fines, & dulcia linquimus Arua,
Nos patriã fugimus: Tu Titire lentus in vmbra, Virg Eclog Titirus.
Formoſam reſonare doces, Amaryllida ſyluas.

Tranſfretare, nauigare, viriliter & animoſè in flumen Tameſin ſe præcipitare, pedes manuſque ſtrenue mouere, & ſpumantes vndas nando ſulcare & diuidere, quod nos Oxonienſes generoſiores, minus prouidè (nihil verentes) facere conſueuimus, huc referri debent, quia Actiones ſunt.

Actionis Prædicamentum, contrarietatem ſuſcipit, non per ſe, ſed propter qualitates, quibus mediantibùs, Agens agit. Sic calefactio, & frigefactio, actiones contrariæ ſunt, non per ſe, ſed quia calor & frigus contraria ſunt.

Actio noſtra, recipit magis & minus: aliquid enim magis vel minùs calefacit & friget, prout res ipſa magis vel minus calent, vel frigeſcunt.

Paſſio.

Sextum Prædicamentũ eſt Paſſio, Pati, ſeu fieri

ſeu ab Agente aliquid accipere. Huc referũtur omnia, quæ paſſiuam ſignificationem habent. Itaque, Paſſiones, ſeu perturbationes Stoicæ, huc referri debent. Subiectum enim ab illis, valde patitur, vt in iratis & timidis facilè apparet. Antea, in Qualitate, hic in Paſſione, ſed diuerſimodè, quod non eſt inconueniens.

Paſſio hæc, ſeu perpeſſio, duplex eſt, animi & corporis. Egrotat crumena mea, ſæpiùs quã vellem, ex quo morbi genere, vos quæſo, quorum Marſupium ſimili morbo laborat, iudicate. Paſſiones *Ioſephi*, *Dauidis*, *Iobi Huſſitæ* (patientiſſimi hominis) & omnium Martyrum huc referendæ ſunt. Ipſos vero, non in hoc Paſſionis, ſed in Prædicamento Cæleſti triumphare & nunc gaudere, confidenter credendum eſt. *Moriatur anima mea, morte horum hominum, & fiant nouiſſima mea, horum ſimilia, vt Balaam (ad ſe bene reuerſus) bene dixit, Numer. 23. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. Mat. 5.*

Hoc Paſſionis Prædicamentum (vt & Actionis) contrarietatem admittit, magiſque & minus ſuſcipit: ſcilicet, ſi qualitates ſuper quas ambo fundantur, contraria fuerint, & magis ac minùs ſuſcipiant. Omnes enim homines, non habent eaſdem paſſiones, ſed nonnunquam contrarias, & ex Diametro repugnantes, qui-

buſcum

buſcum plus aut minùs, variè affici & diſtorqueri videmus.

V*bi.*

Hæc quatuor quæ ſuperſunt Prædicamenta, Vbi, Quando, Situs, & Habitus, ſeu Habere, ſuum quendam vſum habent, ſed minùs neceſſarium: vtpotè quibus, non continentur iis res ſeu Entia abſoluta & perfecta, definitionis perfectæ capacia: ſed concreta tantum, & quæ ſub accuratam contemplationem non cadunt, vt inquit doctiſſimus, & nunquam ſatis laudandus, *Barth. Keckermannus.* Itaque (illo monitore) retinuimus ea, tanquam bis mille annorum vetuſtate ſancitas, Pythagoricæ doctrinæ reliqiuas. Nollem enim vos (Iuuenes) fanaticos innouatores eſſe, & rerum nouarum cupidos: præſertim, cum vetera ſine veritatis iactura, aut magno diſpendio, retineri poſſunt, itaque pergamus.

*S*eptimum hoc prædicamentum, Vbi, eſt ordo, qui locorum deſcriptionem complectitur. Et notate, omnia quæ aptè reſpondent queſtioni factæ per vbi, in hoc predicamento, locum vendicare ſuũ, Vt, vbi ſunt Dæmones? *In aere iſto caliginoſo, mundum hunc malum circuentes, et quærentes quos deuorent,* quoiũ locum et conſortium, ego non deſidero, Nam,

vt est apud. D. *Lucam chap* 16. quicunque cum diuite guloso, in in infernocruciantur, domum rursus nunquam reuertuntur, *Quibus resistite, fortes in fide. & fugient à vobis*, 1. *Pet. cap*. 5. *Nisi enim praecesserit pugna, non potest esse victoria, Cyprian de Mortalitate*. Rursus, vbi sunt AEthyopes, atri inquam illi AEthyopes, vbi habitant? Responde, in torrida mundi Zona, inter *Tropicos Cancri & Capricorni*, non procul ab AEquatore & Linea Ecliptica, eos comorari. Atque ibi (in nomine Domini) adhuc habitent & commorentur, non enim turbabo illos. Anglia nostra temperata, me potius delectat. Vbi est Saulus qui est Paulus? *In*
Act. 2. 29. *Damasco, confundens Iudaeos, & affirmans, quoniam hic est Christus*. Vbi est Christus? *In templo Hierosolymitano, in medio doctorum, audiens & interrogans eos. Et Iesus proficiebat sapientia & aetate & gratia, apud Deum & homines Luc*. 2. Vos (iuuenes charé dilecti) laborate, & pro viribus contendite, vt dulcissimo huic Iesu, conformes & similes sitis.

In hoc Praedicamento Vbi, collocantur res in Concreto, connotantes modum seu circumstantiam loci cuiusque, vt *Affrica, Asia, Europae: Germaniae*, superioris & inferioris, Angliae nostrae florentissimae, eiusque partium & membrorum omnium, Londini, (patriae meae charissimae & dulcissimae) Oxonii matris

Canta-

Cantabrigiæ ſororis ſuauiſſimæ, religioſiſſimæ, ſimul & doctiſſimæ, ſimiliumque: Si tamen, in toto terrarum Orbe, ſimiles, illiſque pares Academiæ inueniri poſſint.

Quando?

Octauum *Prædicamentum*, vocatur Quando? In quo ſimiliter collocantur res, in Concretis Adiectiuis, nobis delineantes modum, ſeu Circumſtantiam, non loci (vt *Prædicamentum* ſuperius) ſed temporis; & omnium eius partium. Hucque omnia referri poſſunt, quæ reſpondent queſtioni factæ per (Quando) vt quando veniſti huc? Heri vel hodie. D*ic nobis, quando hæc erunt? Amen dicò vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant, Mat*. 24. Quando igitur, non eſt tempus ſimpliciter (tunc enim eſſet in Quantitate) ſed, eſt temporis ad perſonam, rem, vel factum applicatio.

Ad hanc Categoriam, referuntur omnia nomina temporis: Quicquid enim fit, tempore fit: cuius partes ſunt, Annus, Dies, Menſis, Hebdomas, Hora, Ver, AEſtas, Autumnus, & Hyems. *Virg, Ec.* 5.

Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis, in Vmbra.

AEtates hominum huc pertinent, Infantia, pueritia, adoleſcentia, Iuuentus, ætas virilis; & vene-

veneranda Senectus. Omniaque Aduerbia temporis, vt hodie, cras, manè, meridianò, Vesperè, semper, aliquandò, nunquam hiisque similia.

Situs, & Positio.

Nonum Prædicamentum, vocatur Situs, seu Positio: quæ, corporis & partium eius positionem, hoc vel illo modo ordinat & disponit, vt corporis statio, deambulatio, cubatio prona vel supina, in latus dextrum vel sinistrum. Porrò, sessio & accubitus, (veterum more sine mensa) *quemadmodum de Architriclino habemus. Ioan.* 2. Hic Aristoteles, in dicendo, multum ambulasse dicitur, vnde Peripateticus, seu deambulator vocabatur. Et Christus in puppi, *super ceruical dormiebat,* Mar. 4. Et ex itinere defatigatus Iesus, *supra fontem Iacob sedebat, Ioan.* 4 Hæc deambulatio Aristotelis, hęc cubatio & sessio Christi, huc referri possunt. Vocabula vero (Infinitiui modi apud Grammaticos) sequentia, vt stare ambulare, cubare, dormire, accumbere, & similia, ad Actionis Prædicamentum pertinere nemo ambigere potest, quia Actiones sunt.

Sunt tamen viri docti, qui hæc limatius distingunt, si placet audire. Volunt itaque Concreta

creta Adiectiua, ad hoc Prędicamentum situs & positionis referri: vt, Deambulans, sedens, accumbens, volutans, & horum similia: Corporis verò positionem, in Abstractis Substantiuis, vt Deambulationem ipsam, sessionem, cubationem, & cum suibus & porcis in cæno & Luto volutationem, ad Actionis Prędicamentum pertinère, illi probabiliter autumant: rectene an secus, Scholarum nostrarum moderatoribus, examinandum & discutiendum, relinquimus.

Habitus.

Decimum Prædicamentum, vulgo Habitus vocatur, vel habituatum esse: quod planiùs & Latinius, integumentum vel indumentum appellare poterimus. In hac Categoria, collocantur res in Concreto, subiecto accommodantes, quoddam artificiale adhærens. Itaque, ea vocabula huc pertinent, quæ deducta sunt, à vestium, armorum & ornamentorum nominibus, vt Prætextatum, cataphractum, & togatum esse: quod in vsu apud veteres ciues Romanos fuisse legimus: Calceatos, annulatos, & vt lepidè dicam, cornutos ramicosos.

Porro, & coronatos reges, Laruatos Hypocritas, cinctum Petrum, eundemque discinctum, malè & sordidè cinctos alios, & discinctos

cunctos quoscunque: *vt, respondens Achasrex Israel Benadabo, Syriæ regi superbo. Dicite ei, non glorietur accinctus æquè vt discinctus, 1. Reg.* 20. Palliatos Græcos, & palliatos Christianos: barbatos & barbatulos, crinitum Iopam, comptos & palliatos Philosophos, cucullatos Monachos, veliatas Monlales & Nonnas, socias, & contubernales suas. *Video, inquit Herodes Atticus. barbam & pallium, philosophum, non dum video. Aul. Gall. Noct. Attic. lib. 9. cap 2. Pallio. nihil expeditius: Gaude pallium & exulta, quoniam melior Philosophia te iam dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti, Tertull. de Pallio.* Sed, non sunt omnes philosophi, qui philosophico pallio iuduuntur: *Cuculla, non facit Monachum, prolixa barba, non facit hominem doctum.*

☞ *P*lacetne, in hoc prædicamento Habitus, de habitu Monachorum Romanensium, de Cuculla & tonsura eorundem, lepidum commentum inter vulpeculam & Anserem, ex me audire? Quod ego iuuenis, in veteri libro pergameno, Oxonii: nemini olim me legisse: quod adhuc non excidit, quamuis profectò, vt verum fatear, nunc senex, incipiam delirare; Sic itaque se res habet.

Vulpecula loquitur.

Quod fuerã, non sum: frater, caput aspice tonsũ,
☞ *Finem pono malis, notat hoc vestis Monachalis.*

Auca

Auca respondet.

Vestis honesta quidem, sed quod fuerat iā pridē,
Est cor semper idem, cur dare nolo fidem.

Qui legit, intelligat: Misterium enim magnum latet quod ego hic vobis aperiam, Monachi Papistici, vulpeculæ sunt: Laici verò stulti et simplices anseres facti sunt, quemadmodum vetus istud illorum Emblema pulcrè edocet. Caueamus itaque iam moniti, ne astutis his vulpeculis:, *vineā Domini demolientibus*, *Cant* 2. nimis citò fidem adhibeamus,

Olim, bonus meus Anus. *D. Ioannes Talkarne*, Armiger cornubiensis vir pius cordatus, et bene doctus, quo melius puer, operam libris incumberem, veterem hunc versum mihi sæpiùs recitare solebat,

Oxonium veniunt multi, redeunt quoq; stulti.

Quod postea in meipso, quamuis & togatus & graduatus fuerim, verissimum esse comperi. Itaque, cauete Iuuenes, ne mei similes sitis, id est, ne in hoc albo non proficientium, mecum inueniamini. De Categoriis, vbi & Habitus, quoniam apertæ sunt, & non obscuræ (sic enim loquitur Stagirita) nihil aliud trado (inquit) nisi quod initio dixi, (*Habere*) idem declarare, quod vestitum & armatum esse: &, (*Vbi*) vt in Lycæo, in foro, Arist. de prædicamentis Agere et Pati, & cæteris, cap. *6.*
Hæc 4. posteriora Prædicamenta, *S*ubstantiæ

vt

vt regi ſuo,hoc modo ſequenti, inſeruire poſ-ſunt,ſi illorum Miniſterio vti volueritis.



Poſtprædicamenta.

Ariſtoteli Stageritæ placet poſt decem prædicamẽta,*Poſtprædicamenta* quædam addere: Quæ continent nonullorum terminorum diſtinctiones, intellectu & conſideratione veſtra,non indignas,Cuiuſmodi hæc ſunt, *Prius Poſterius,& Simul.* Nã,quod ad reliquos terminos (*Motus & Habere*)attinet, ii ſine vlla iactura prætermitti poſſunt, quemadmodum Bar.Keckermannus bene annotauit:cuius opinioni,ego lubens acquieſco. Atque hic, mihi bene placet,perſpicuitatis cauſa (quam ego in docendo vel diſcendo, vehementer amo)Murmelii ordinem, vobis ante oculos proponere.

Prius tempore,vel exiſtentia eſt,quod ante

aliud

aliud fuit: ſic Bruta prius in rerum omnium creatione, extiterunt homine,& Teſtamentum vetus,prius erat Nouo.

Prius natura:ſic genus eſt prius quauis ſua ſpecie.Zabarella vocat, prius ordine naturæ generantis.

Prius dignitate,vt Conſul Senatore,præceptor diſcipulo , *D*ominus ſeruo, Rex ſubdito.

Prius ordine, rectè in Numeris, & eorum progreſſu, cerni poteſt, vt vnum ante Duo, duo ante tria,& ſic deinceps, ordine recto, & non retrogrado,ſi progredi volueritis.Huc addi Hebdomadarum dierum ordo ſucceſſiuus, aptiſſimè poteſt:vt *D*ies Dominica ante diem Lunæ, dies Lunæ, ante Martis diem. Martis ante Mercurium, & ſic de reliquis: Quamuis me non lateat, ad Tempus etiam hoc referri poſſe,ſi quis curiòſius & Limatiùs hanc rem rimari & ventilare voluerit. *Sed Argallus* ſcribit nouitiis,& in arte Dialectica, non adhuc multum exercitatis.

Prius Cauſa:ſic nempe omnis cauſa eſt prior cauſato vel effectu ſuo.

Effectus,vt pediſſequa , cauſam veram et propriã ancillatur,et cauſa vera et propria(*vt rex*) effectum ſuum ſemper antecedit. Atque hoc in loco memoriæ veſtræ iuuãdæ cauſa.notetur hoc, docti Murmelii diſtichon ſi placet legere.

gere.

Tempore natura, prius ordine dic et Honore.
Causam causato, dicimus esse prius.

Et notate, quot modis *Prius* dicitur, tot modis P*osterius* dici poteſt: hæc enim ſunt Relata.

Simul tempore Suncronoi et coetanei. *Hieronymus* et Auguſtinus, Cyprianus Martir, et *Cornelius* Epiſcopus Romanus. Bernardus Clareualenſis, et Eugenius eius nominis tertius. *S*imul tempore, *Ioannes Argallus* qui hæc ſcribit (pauper ſenex) et reuerendi patres D. *Thomas Bilſonus*, Wintonienſis: D. *Martinus* Heyton, Elienſis: D. *Robinſonus*, Carliolē-*D. Tobias Matheus* dunelmenſis: Epiſcopi doctiſſimi, loco ſuo digniſſimi vigilantiſſimi Antiſtites, aliique permulti: vt, D. *Thomas Thorntonus*, D, *Robertus* Dorſetus, *D. Gulielmus.* Iameſius (*D*unelmenſis *D*ecanus, Vir grauiſſimus et prudentiſſimus) D. *Galfridus Ludouicus*, vetus collega eius, vetus amicus meus D. Ioannes Reynoldus, D *Thomas whitus*, vir eloqueus, & in ſcripturis potens Act. 18. D, *Rodolphus P*iccauerus, D, *Gulielmus Zouchæus, D. Ioannes Walſallus. D. Ioannes Houſonus*, D. *Nicholaus Bondus*, Collegii Magdalenenſis nunc Præſes, homo nitidus & facetus, contubernalis meus, & olim familiaris Geta. Omnes ſacræ Theologiæ doctores præſtantiſſimi.

Simul

Simul tempore fuimus, in vna *Academia* & *S*chola educati,& Ecclesię Christi Oxoniensis magna ex parte,omnes socii & alumni.Hos, magnus Deus, ad summos in Ecclesia honores & dignitates(quia digni sunt)euexit: Argallum vero,pro peccatis suis magnis & innumeris,indignum senem, in paupertatis vinculis adhuc detinet,vt cum Acolasto,filio prodigo,pænitentiam agat,verè recipiscat,& tādem per eius gratim,saluus fiat.

Sæpe leuant pœnas,ereptaque lumina reddunt, *Ouid.*
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Vexatio,intellectum dabit: *Præcessit disciplina,& per dei gratiam,sequetur & venia, Cyprian.Epistolar. lib*.4.*B*ona est ea paupertas & humiliatio,quæ vere pænitentes faciat.

Simul natura sunt, duæ species, sub vno genere Oppositæ,vt homo & brutum sub animali.

Simul ordine & honore,*omnes Christi Apostoli. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari cōsortio præditi,& honoris & potestatis,vt Cyprian.loquitur, de Simplicit.Prælator.Tract.*3.Quales apud nos Anglos,illi proceres sunt, qui a Regis nostri Iacobi sanctioribus Conciliis semper presto adsunt,viri præ cæteris omnibus, longe honoratissimi,par honor,æqualis auctoritas. Qualesque apud veteres Quirites(*M*undi *D*ominos) consu-

Consules pares, *D*uumuiri, Trium:viri, decemviri et postea, in magno Reip discrimine dictatores non annui, sed Semestres.

Definitio,

In omni Definitione bona et perfecta, plura et maiora de iure suo, a nobis, vt ei debita requiruntur, quàm illi bene soluere & præstare poterimus: eoque magis in ære eius, mali debitores sumus. vid. *Arist: 6. libr. Topicor. cap.* primo. Inter reliqua tamen, hæc pauca necessaria, omitti non debent. Conuerti debet definitio cum definito suo, debet esse breuis, & sine ambiguitate perspicua: & postremò, ex *obsoletis, antiquatis, & Metaphoricis verbis*, non debet componi, Arist. 6, Topicor. cap. 1.

Nec tamen ita rigidè interpretanda est hæc limitatio, quasi nullis omnino vtendum sit in definitione Metaphoris. Sæpe vocabulis propriis caremus, & tum necessitas cogit hanc bonam legem violare. Id modo notetur, semper propria per se et natura sua, esse clariora et meliora translatis, Ideoque eis in *D*efinitione et adeo omni bona doctrina, merito præferēda esse. *Definitio alia est Nominis, alia Rei:* Nominis Definitio, est breuis explicatio nominis, vt *P*hilosophia est studiū sapiētię: Theologia, est doctrina de deo, Euangeliū est nūcius optabilis

optabilis. *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum*, *Luc*.2.10. Et, sine aliqua aut Rei aut Nominis explicatione, velle rem cognoscere, est tempus perdere, vt Boethius, ex Methodico Galeno, bene annotauit.

Definitio Rei, ex Boethio.
- Essentialis, ex genere proximo, & differentia specifica constans, quæ rara est, propter verarum differentiarum magnam penuriam.
- Causalis, ex
  - Materia.
  - Forma.
  - Efficiente.
  - Fine.
- Accidentalis, ex frequentia, & coaccruatione plurium Accidentium.
- Ex speciebus, vel ex partibus.

D. Keckermannus, nos hic relegat, ad clarissimum Philosophum, Rodolphum Goclenium, tum in Problematibus Logicis, tum vero in eruditissimo libello, quem de Definitione conscripsit, dignissimũ (vt ille attestatur) qui à Logicæ studiosis attenté legatur. Itaque, quæso vos (studiosi iuuenes) vt hunc elegantem libellum consulere velitis. Interim, *hoc ex Damasceno*, *cap*. 8. *Dialectica*, notatu dignum iudico, definitionis perfectionem esse in reciprocatione: sanitatem in hoc, ne quid in definitione desit, ne quid redundet. In Marsupio meo, redundat puluis, in Marsupio meo, deest Argentum: Itaque per hanc Damasceni regulam

gulam, ægrotat crumena mea. Libenter ego medicos illos conuenirem, qui hunc meum *Marsupii morbum & Cacochymiam, perfectè, curare vellet*: talẽ ego, non deum, sed alterum AEsculapium profecto denominarem.

Argalli Corrolar. Et nunc tandem, accipitote Argalli, de definitione, dulce, ambrosium, nectarium & mellifluũ Corrolarium, quod ego volo vocari meum, quia ex me natum est,

lectorem attentum nunquam decipiens: scilicet, *Stultorum infinitum numerum, verarum differentiarum, magnam penuriam esse*. Si veræ differentiæ abundarent, vt in hoc mundo abundat Nabal stultus, & eius progenies numerosa, statim optimas et perfectissimas haberemus definitiones. Argallus, qui est Archigallus, qui est alter Socrates (*non Midas*) qui est Pythagoras, qui est sapientum octauus, dixit & Statuit. Itaq;, sub pæna Anathematizationis magnæ (*Bell Booke and Candle*) credere statuimus iubemus, & Papaliter imperamus. Volumus enim, vt quod nos mandamus, sine vlla cunctatione, FIATVR.

Placeat sanctitati vestræ, Grammaticorum regulas melius considerare. Priscianus enim

1. Cor 16, 22 sic non loquitur. Apagete, quid audimus? *Anathema Maranatha vobis*, nisi statim taceatis. In contemptum Prisciani, & omnium Gràmaticorum, FIATVR.

Sancti,

Sanctitatis tuæ diuinam prudentiam, laudamus & in Cœlum vſquè attollimus, Papaliter etenim concludis.

Sic volo ſic iubeo, ſtat pro ratione, voluntas. In nouis verbis cudendis & creandis, omnipotententiam veſtram agnoſcimus. Itaque, vt quod mandaſtis FIATVR, actutùm & ſine mora, procurabimus.

Diuiſio.

Diuiſio duplex eſt, Nominis & Rei: Nominis, quando ambiguum & multiplex diſtinguitur in ſua ſignificata, vt Canis in animal latrabile, & ſydus Cæleſte. Hæc diſtinctio (vt & omnis Diuiſio, & rerum in partes diſtributio) ad perſpicuè & copioſè dicendum & diſputandum, maximum habet vſum. Diuiſio Rei, quatuor habet genera ſequentia: quæ, cuiuſmodi ſint, modo audietis. Interim cauete (ô vos Academici recentiores) qui ex Dotatione veſtra, in Prandio, bouillæ carnis elixæ, cum tenui iuſculo, tres obolos ſolum, inter quatuor famelicos habeatis, ne ita diuidatis, vt veſtri ſodalitii & fraternitatis reliquos ſocios decipiatis. *Hoc enim eſt frangere, non diuidere.* Leges benèdiuidendi & partiendi, non docent vos hoc facere. Auſcultate igitur, quid olim accidit: hodie inter vos, ſimile accidere poteſt, niſi

proinde caueatis.

Tho. *P*emb. Olim discipulus meus, puer ingenii præcocis & bonæ indolis, cum primum ad nos Oxonium recens venerit, carnem Bouinam gustare non potuit, tali cibo pupillus meus querulans, nunquam vescebatur, alius itaque actutùm illi parandus est, aut (in malam rem) statim ægrotare vult. Tales sæpenumero sunt illi, qui parentum mamillas nimium sugunt, & non nisi domi instituuntur. *P*ostea tamen, videns apud nos, nihil præter aridum panem, iusculum, tenuemque potum (*sixteus appellamus*) eorum mensæ apponi, tentabat esuriens, de carne illa Bouina, quasi pitisando (*vt canis Nilum*) primis labris degustare, volens quomodo palato eius, ille nouus cibus masticatus arrideret, experiri. *P*rofectò, quod verum est, vobis narrabo: Mentiendi consuetudo, non est bona. Ecce subito, miraculum magnum. Hoc alimenti genus illi inusitatum, de improuiso (quod non expectabamus) ita meo discipulo perplacere cæpit, vt iam ferè abstinendo famelicus, non solum portionem suã auidè deuoraret, sed etiam reliquos sui ferculi socios defraudasset, nisi eius voracitatem nouam, citiùs deprehendissent. Dicite mihi quæso (vos barbatuli) an, in tanta cibi inopia & parsimonia, talis diuisio vobis placere possit? Remanet iã, vt de iusculo illo Hesterno, in quo

hæc

Th. P.

hæc caro decocta fuerit, inquiramus: An ſcilicet, à cuius carne modo abhorruerit, ab eius brodio & ſorbitiuncula nunc abſtinuerit, annon? Quæſtio magna (me Hercle) & inter *Articulos Pariſienſes*) inquiſitione digniſſima. Itaque, Sorboniſtis illis (magnis Magiſtris) ventilandam, & in vino diſcutiendam relinquamus, noſtrum enim captũ, longè ſuperat. Certi aliquid, in re tam magna & difficili, ſine magna deliberatione, non habeo definire,

Vos vero (iuuenes) optarem, ex hoc tam preclaro exemplo, aliquid diſcere, quô prudentiores ſitis. Cognoſcite itaque ex me ſene, (patre veſtro) hunc malum puerum, fuiſſe Dæmoniacum, i. proteruuum, laſciuum, & nimis mollem, ſub parentum alis non educatum, ſed corruptum: hocque Dæmoniorum genus, non niſi abſtinentia & fame eiiciendum eſſe, vt hic clare cernitis. Profecto *optimum condimentum fames*: Ad huius generis morbi malitiam expellendam, totus *Medicorum* chorus, in promtu, medicinam meliorem & nobiliorem non habet, aut excogitare poteſt, vt ego auguror. Et ſciatis velim, Argallum non eſſe *P*ſeudoprophetam. Vtimini itaque (in nomine Domini) cum opus fuerit, nam probatum eſt. Pupilli veſtri, ſi moroſi aut nimis delicatuli fuerint, hoc modo ad priſtinam ſanitatem re-

duci eleganter possunt, si experiri volueritis,

Tempus nunc est, vt hac inequali diuisione prætermissa, æquiorem prosequamur, quæ proximè sequens, talis est.

1. Generis in Species: Homo, in masculum & fæminam. Peccatum, in { Originale / *Actuale*.

2. Diuisio Rei, quadruplex. Totius in partes: hæcq; strictiori vocabulo, vocari solet Partitio, seu Enumeratio: Ciuitatis, in { Plateas, ex domibus cõstantes. / Portas, et Mænia. / Fossas, & propugnacula. } Comediæ, in *Protasin*, Epitasin, & Catastrophẽ

3. Subiecti, in Accidentia, vt homo doctus, indoctus, longus, breuis: Dominus, Pater, seruus filius, mansuetus, truculentus.

4. Accidentis, in alia Accidentia, vt *Amicitia* { Vera, / Hypocritica,

Atque vtinam omnis amicitia esset simplex, & vera, qualis fuit illa pii AEneæ, & fidi Achatis, aut illa Achillis & Patrocli, aut illa *Ionathan & boni* Dauidis, 2. *Sam.* 1. aut postremò qualis olim fuit illa, inter me & *Arthurum Wakum*, inter me & *Robertum Dorsettum* inter me & *Ioannem Delaberum* (adhuc viuentem) medicinæ doctorem præstantissimum verè generosos omnes. Meliùs nunquam amauit

ſuit *Pylades Oreſtum ſuum*, quàm illi me, aut ego illos. Sed eheu, nimis verum eſt, quod olim *Poeta* cecinit:

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen Ouid.
Proſtrat, & in quæſtu pro Meretrice ſedet.

Facilè inuenias amicos fucatos, (quales hi tres Iobi amici olim fuere) *Eliphas Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Nahamathites*, con*ſolatores* peſſimos. Bonos & conſtantes, pau- Pindar.
ciſſimos: *nam in ærumnis pauci fideles.*

In omni bona Diuiſione, membra diuidentia, non debent eſſe ſibi inuicem ſubordinata: ſed ita diſtincta, & ab inuicem ſeparata, vt eorum alterum de altero, nullo modo prædicari poſſit. Sumite vobis exempli cauſa, Animal in has vulgares ſuas ſpecies diuiſum, *Hominem & beſtiam.* Beſtia, neque prædicari poteſt de homine, nec homo de Beſtia. Virtus ſimiliter, quatuor habet ſpecies notiſſimas, *Prudentiam, Iuſticiam, Fortitudinem, & Temperantiam.* Hæ ſpecies diſtinctæ ſunt, neque poteſt vlla earum dici de altera. Prudentia enim, non eſt Iuſticia : Iuſticia non eſt Fortitudo, Fortitudo non eſt Temperantia, neq; Temperantia, reliquarum aliqua.

Perfectiſſima eſt ea *Diuiſio*, quæ ex duabus ſolummodo partibus conſtat. Hancque *Dichotomiam*, Peripatetici veteres, multum extulerunt, Tamen apud nos, ex tribus partibus

Trichotomia, non eſt deſpicienda. Lex itaque Dei, per Moſem promulgata, ex ratione obiecti, *Trichotomiam* requirit. *Alia enim eſt Moralis, alia Ceremonialis, alia Iudicialis ſeu Forenſis.* Vtimurque nonnunquam diuiſione quadripartita, ſed cum his nunc recitatis, forſan non comparanda. Multæ ſunt laudes & encomia *Diuiſionis* apud *Platonem, in Sophiſta, & in Phædro.* Vbi, poſt eius prolixas commendationes, tandem Socrates exclamat: *Si nactus fuero ducem, qui recte partiri ſciat, eius ego veſtigia, vt Dei cuiuſdam, ſequerer lubentiſſimè.* Nouit prudens Socrates, quid optaret: hoc, ſi aliquis *Morio*, aut ſtultus *Nabal* dixiſſet, notatione dignum, non iudicaſſem.

Quæſtio.

Quæſtio duplex,
- Simplex, vt virtus, cuius genera ſeptem vulgo recitari ſolent
  - *An* ſit?
  - Quid ſit?
  - Quæ Species, et partes?
  - Quæ Cauſæ?
  - Quę Effecta?
  - Quæ Cognata & Similia?
  - Quæ Contraria, & Diſſimilia
- Compoſita, quæ Argumentatione tractari commodiſſimè poteſt. Hæc, ex propoſitionibus confici debet, vt, an Virtus ſequenda ſit? *An* ſit Purgatorius ignis Papiſticus, poſt hanc vitam, annon?

Quæſtionem, de rebus omnibus quibuſcunque

que mouere, & in dubium vocare, non debemus. Aristoteli bene placet (vt & nobis) *contra negantem Principia, non esse disputandum.* Qui igitur hanc quæstionem mouet, An Dii sunt colendi, &, An amandi Parentes, supplicio coercendos esse. Similiter, qui an Nix sit alba, *sensu carere, Aristoteles pronunciat, primo Topicor. cap. 7.* In qua posteriori opinione, *Anaxagoram Philosophum* fuisse legimus. Sed de rebus dubiis, & multum controuersis, Dialecticus rectissimè disputare potest: vt, vtrum sit deterior auarus quàm prodigus, Laban an Acolastus. *An Petrus,* per 25. annos continuos, Cathedralem sedem *Romæ* tenuerit, vt Hieronymo placet. An liceat vxorem alteram ducere & circumducere, priore superstite. Et vtrum verbi Dei Ministris licitum sit ab ouibus suis, tempore persequutionis fugere? Aut pestis contagium, & grassantem infectionem declinare, annon? De quo posterioti, nuperrime, aliqua disceptatio Londini fieri cæpit.

Athanasius, pater bonus & Orthodoxus, ab hæreticis *Arrianis* eum persequentibus, fugit & licitum esse, egregiè conuincit. Alii, negare videntur, vt bonus pater *Augustinus,* sed quodammodo, & ex parte, *Epistola* 180 *ad Honoratum. Tertullianus* verò, Montanizans, omni modo illicitum esse mordicùs tenet, sed

minus

mimus verè, vt ego arbitror. *Hieronym. de Scriptor. Ecclesiasticis.*

D. Thom. Bentham

Tempore Mariæ, nuper Angliæ reginæ nostræ multi reuerendi patres, pii & doctissimi verbi Dei Ministri, fugerunt: Dominus *Thomas Benthamus*, olim Dominus meus, homo verè Christianus, benignus & liberalis. Nobilis *Sandus*, eloquens & disertus *Iuellus*, (*Papistarum malleus*) lepidus & cum grauitate facetus *Epigrammatarius*, *Parkhurstus*: *Pilkintonus* doctus, prudens Grindallus, impiger Hornus, regius præceptor *Coxus*, Reginæ institutor inuicti animi AElmerus, trium linguarum homo peritissimus. Herefordiensis duo, grauitate pares, *Scoræus & Westfalingus*. *Exoniensis*, *Milo Couerdallus* (Cathedram fugiens) vir humillimus. Pius & Laboriosus Foxus, Elemosynarius, candidus Molinæus: bonus pater *Aluæus*, senex *Whithedus*, Geometer, Musicus Theologus, & nullius fere liberalis cognitionis, ignarus. Zelo & spiritu plenus, *Sampsonus*, eiusque fidus *Achates*, Leuerus. Dunelmensis *Whitingamus*, Cestrensis mitis *Goodmannus*. Alexand. *Nowellus*, *Paulensis* Decanus dignissimus, homo nonagenarius, verbi Dei buccinator egregius, verè Philoxenus: in omnes bonos bonus, in pauperes, profusus. *Laurentius Humfredus*, in Academia Oxoniensi, per multos annos, fidelis Antesignanus, & Regius pro

fessor

fessor meritissimus. S. *Theologiæ* doctor literatissimus, in omnes nos suos filios, pater amantissimus. Qui singuli, postea (per Dei gratiam) reuersi incolumes, veritatem Euangelicam apud nos Anglos, strenuè & viriliter defenderunt, magnaque fuerunt ornamenta, & lumina Ecclesiæ nostræ.

Propositio. seu Enunciatio.

Propositio seu Enunciatio, est oratio breuis & perfecta, qua quid sit verum vel falsum, perspicuè declaratur: vt, *Romanenses sunt* Idololatræ. Omnes sacerdotes *Papistici, non sunt virgines*. Huius tres sunt partes, Subiectum, Prædicatum, & Copula. Subiectum (inquit doctus *Melancthon*) est illud, quod in Grammatica constructione, est prior Nominatiuus, de quo aliquid dicitur. Prædicatum seu Attributum, est quod de Subiecto enunciatur: vel, prædicatum, est descriptio sequens Copulam: vt, *S. Antonius est porcorum* medicus S. *Franciscus, est pediculosus sanctus*. Copula, seu vinculum, est quod subiectum & prædicatum simul coniungit & copulat, vt homo est mortalis: (*Est*) hoc in loco, copulam coniungentem cernitis. Deprecandi, interrogandi, vocandi, admirandi, deplorandi, & similia loquendi genera, ad Oratores potius, quâm ad Dialecti-

cos

cos pertinere, *Aristoteles putat, de Interpret. lib*, 4.

Antedictus S. Antonius mihi in mentem reuocat quid ante quadraginta sex annos, aut amplius; *Oxonii* lepidè contigerit, quod nūc vobis iuuenibus, non indignabor commemorare. Porcellus quidam impurus, suo more obgrunniens *Marianis* temporibus, inter Missarum solennia, magna studiosorum frequentia Collegii nostri Ecclesiam intrauit, neque impediri voluit donec sacrifici vestimentum sacratum, dentibus suis impuris fœdè arroserit: profecto non fingo. Multi hanc rē intuentes, tacitè subridebant, superstitiosi indignabantur Diuina sua sic prophanari. D. *Gulielmus* Tresham Prebendariorum Coriphæus et colegii nostri Subdecanus (theologiæ Doctor) claris parentibus ortus, sed Romanensiū religioni totus deditus, me puerum et scholasticum infimum ad abigendos ex choro Canes, flagellatorē argenteo nummo condixit. Officiū meū (*non Homeromastix* sed *Cunomastix*) gaudens assumo: flagellum itaque actūtum paro, facioque canes meos cum primum me viderint currere et eiulare, paruoque tempore sentire non cum Actæone sed cum Archigallo, se iam rem habere. Ego interim cum *Woltono, Elcocco, Wimsleo, Siddallo, Arthuro Wako generoso* (studiorum meorum postea bo-

☞ S. Antonius

no

no participe) reliquisque sodalibus hoc videntes, a risu et cachinnis temperare non potuimus. *E*t nisi multum fallor D. *Gilbertus* M*ū*-*sonus*. *D*. Thomas Frāciscus, *Alfordus*, *Daubeneus Frognollus*, *Wallæus*, *Iacobus Daltonus*, *et D*. *Richardus Sudburius*, olim præceptor meus bonus (seniores nostri) alioquin graues viri, rem hanc ridiculam contemplantes, sese continere non potuerunt. *D*. *Thresham*, præ metu subsellium suum reliquit, huc illucque se mouens, promouens nihil: voluit quippe bonus senex hunc strepitum authoritate sua cōpescere, sed rusticus hic porcus Doctoratum eius noluit agnoscere.

Quid sacrificus toto hoc tempore cogitauit, vellem vos (iuuenes) mecum diuinare. Verisimile est, eum minime quietum fuisse, itaque sæpius sese *Crucis* signaculo consignasse, et ad *aquam suam* benedictam tanquam ad sacram *Anchoram* cōfugisse, quo scilicet tutius et expeditius hanc impuram bestiam in fugam cōuertere possit, dubitantem forsan, ne Diabolus in forma porci iam apparuerit. Si *D*ominus *Thresham*, in diruendo & mutando iam totus occupatus, mihi in mandatis dedisset vt similiter cū *Porcis* facerē quod cū *canibus* iussisset fieri, sacerdoti nostro *M*issificanti nō paterer hanc indignitatem offerri. Hoc quoniam non fecit, nolui mandati limites præterire: Itaque

hunc

hunc Antonii Porcum (in malam rem) impunè quò voluerit abire, passus sum.

Quid malè morato suillo postea contigit, an in Canes Molossos inciderit, aut Diabolus in eum (quemadmodum olim in *Gadarenorum sues*) *intrauerit*, *Mat*, 8. me latet, neque profectò multum curo. Si mortuus fuerit, resuscitet eum Patronus suus, si velit: sin aures bene perforatas domum reportauerit, curet eum S. Antonius, quia porcorum medicus est: non habeo hac de re vobis plura dicere. Igitur, vbi desistimus, progrediamur quæso. Hora quarta audita est, & verebitur Affrania mea (si diutiùs hic mecum commoramini) ne vos forsan, hic mecum cænare volueritis. Profectò, vt est apud veterem Comicum, *quod nos capere oportet, hæc nostra intercipit*, Itaque properandum esse, videtis.

Propositionis partes, non sunt pueriliter intelligendæ, quasi oporteat vnicam vocem subiectum esse, & vnicā vocē, prædicatum. Absint hæ, nimis pueriles cogitationes. Sed hoc moneo, sit hæc nostra Propositio, oratio vnica & integra, etiamsi subiecto aut prædicato addantur descriptiones. Est ergo hæc sequens, vera & bona propositio.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Vtile est, in omni disputatione in omnium ho-

hominum ſcriptis in omni congreſſu & familiari ſermone conſiderare, quæ ſit illa propoſitio quam confirmare et ſtabilire velitis: et porro quam apta ſint illa, quæ ad opinionem illam veſtram ſeu aliorùm vel confirmandam vel infirmandam, adducere ſoleatis ante oculos habere. Hæc examinatio, ex locis Topicis, et Argumentorũ formis optimè expendi et vẽtilari poſſe certiſſimum eſt. Itaque loca Topica, et argumentorum genera, a vobis nullo modo negligenda ſunt. Iam igitur tempus eſt, vt Quæ qualis et Quanta propoſitio quælibet dicenda ſit, hoc in loco conſideremus. Nã ex Propoſitionibus argumenta confici debent: Quod ex hoc veteri ſubſequente verſiculo, perſpicuum vobis faciemus,

Quæ? Ca. vel Hyp. Qualis? Ne: vel Aff:
V. Quanta? Par. In. Sin.

Qui verſus antiquus, hunc habet vſũ. Si quẽpiã interrogetis de aliqua propoſitione ſeu Enuntiatione, *quæ ſit?* Reſpondere per *Subſtantiam* eius poteritis, eſſe vel Ca. *Categoricã* vel *Hyp. Hypotheticam.* Secundo ſi quæratur *qualis ſit?* Reſpondendum eſt per eius Qualitatem, eſſe vel Ne. i. Negatiuam, vel Aff. i. Affirmatiuam. Tertio, ſi interrogetur quanta ſit? Reſpondendum eſt ſimiliter per eius Quantitatem, eſſe vel V. id eſt Vniuerſalem, vel Par Particularẽ. In. Indefinitã, vel Sin. Singularẽ.

Sic

Sic enim in *S*cholis noſtris, apud nos Oxonienſes, me puero, loqui ſolebamus. Vtcunque barbarè ſcripſerit, qui hunc verſum compoſuerit, (quod ego non approbo) memoriæ tamen iuuandæ, vtilis eſt & percommodus.

*S*igna vniuerſalia ſunt, *Omnis*, *Quiſque*, *Totus* *Vniuerſus*, *Cunctus*, Quis non, Nemo, Ne vnùs quidem. Atque notate, generale hoc ſignum (*Omne*) per Synecdochen, nonnunquam reſtringi ad particulare, *vt*, *Omnis Iudæa ibat ad Ioannem*, *Mat*. 3. Omnis, id eſt , ex Iudæa plurimi. *Et*, *omnis lex*, *in vno ſermone impletur*, diliges proximum tuum, ſicut teipſum, Galat. 5. Omnis lex, i. omnis lex ſecundæ tabulæ. *Et*, *prædicate* Euangelium, *omni creaturæ*, *Marc*. 16 id eſt, omni homini, vel omni credenti.

Ex hoc ſcripturæ loco, *S*. *Franciſcus*, anſeribus prædicabat. *Obſtreperum animal Anſer: ferunt tamen, ab his ſororibus auiculis, magno ſilentio auditum fuiſſe, quemadmodum bellè notat feſtiuus Eraſmus, in ſuo Colloq. Medardo. Pius* ſane, & plus quàm miſericors homo, qui Anſerum ſaluti, hoc modo conſultum vellet.

Hæc, & ſimilia propoſitionum genera, vocari poſſunt, generalia *Synecdochicha*, *&* *Reſtrictiua*.

Propoſitio omnis Indefinita, eſt abſque ſigno

ſio & nota vel vniuerſali vel particulari. Quæ in materia neceſſaria, valet vniuerſalem : vt, homo eſt animal, vel rationalis, vel riſibilis, æquipollet cum his Propoſitionibus, omnis homo eſt animal, omnis homo eſt rationalis, omnis homo eſt riſibilis. Rurſus, Indefinita propoſitio, in materia Cõtingẽti & non neceſſaria valet particularem, vt homo eſt doctus, id eſt, aliquis homo eſt doctus. Monachi ſunt virgines, i. quidam Monachi ſunt virgines Quamuis enim omnes cælibes ſunt, tamen omnes virgines non ſunt. *Sunt, qui propter regnum Cælorum, ſeipſos caſtrauerunt, Mat.* 19. Sed, me Hercle, noſtri Romanenſes, tales non ſunt *Durus eſt hic ſermo, non omnes capiunt verbum hoc.*

Affirmatiua propoſitio dicitur, vbi principale verbum affirmatur, *vt Antonius Eremita*, fuit vir integerrimus. *Pambus, fuit homo bonus*, ſed illiteratus. De quo, memorabile eſt illud, quod hiſtoria Eccleſiaſtica, de illo narrat, de linguæ vitio refrenando: quod, vtinam garruli homines, & loquaces Pici noſtræ, imitari vellent. Optandum hoc, ſed ſperandum minimè.

Propoſitiones Modales.

Propoſitiones aliquæ, vocantur Modales, ſeu Modificatæ, quæ his quatuor vocabulis & ſig-

nis, notari solent, *Necesse*, *Impossibile*, *Possibile*, *& Contingens*. Hi termini, modum propositionibus imponunt, easque diuersimodè afficiunt, vnde eas *Modales*, *seu Modificatas* esse nuncupatas, ego auguror, si non sum falsus vates: neque habent magnam vtilitatem adhuc mihi cognitam. Tamen, quia magnus *Aristoteles lib. de Interpretatione*, de illis tractat, volui vos (iuuenes) de illis vtcunque admonere. Atque haud scio (vt dicit doctissimus Keckermannus) magisne doctrinam hanc Modalium Scholastici exercuerint, quàm illa eos vexarit. Certè, vsque adeò ab illis sudatum & elaboratum hic fuit, vt Dicterio satis noto, locus datus sit, *De modalibus, non gustabit Asinus*. Horum itaque tractatio, ad vos minus exercitatos, adhuc non pertinere, arbitror. Vtrum in posterum vsui vobis erit, vos ipsi videbitis.

Vniuersalis affirmatiua, difficulter probatur, facillimè refellitur. Vniuersalis negatiua, facilius probatur, & difficilius euertitur. Particularis affirmans, facile probatur, difficulter euertitur. Particularis negans, facilius probatur, difficilius refellitur. *Ex Barth. Keckermanno*, hæc postrema mutuatus sum: si igitur hanc admonitionẽ commodam & vtilem perspiciatis, vtimini quæso, & grati estotè. Profectò, ingenui homines non dedignantur ingenuè,

per

per quos profecerint agnoſcere & confiteri.

Æquipollentia.

AEquipollentia, ſeu Identitas, duplex eſt, Dictionum ſimplicium, & Propoſitionum. Simplicium, vt Enſis & Gladius: Iacobus & Iſrael, liber & codex, fur & Latro. Inrerrogatus quondam à Iudice, fur quidam, quam differentiam inter furem & Latronem nouerit, reſpondet intrepidè, Iudicem ſublimè ſedentem, latronem eſſe, ſe verò pro re minima incarceratum, furem appellari ſolitum eſſe. Ego verò, quia nullos latrocinantes Iudices cognoui, hanc diſtinctionem non agnoſco.

Propoſitionum AEquipollentia, eſt diuerſorum verborum, vna eademque ſignificatio: vt non omnis homo eſt doctus, & quidam homo non eſt doctus. Nemo non eſt riſibilis, & omnis homo eſt riſibilis, hæc æquipollent, & eadem ſunt.

Atque, oportet eum qui non vult decipi (vt docet Plato in Phædro) in rerum *ſimilitudines & diſſimilitudines accurate introſpicere.* Multi enim, pro rebus ipſis, imaginum ſpecie & larua externa ſæpius decipiuntur. Itaque, ex ſacris literis, (Theologiæ Studioſis) notãda ſunt hæc & ſimilia exempla: *Non omnis viuens in*

conspectu tuo iustificabitur, Psal. 142. *& nullus viuens in conspectu tuo iustificabitur: hæc æquipollunt. Et, non exies (e Carcere) donec reddas nouissimum quadrantem* (vt loquitur vetus interpres) i. nunquam ixies, vel (Latinius) exibis si nostri Romanenses paterentur eum Latinè loqui. Hæc enim similiter æquipollent, *vt Hieronymus, Chrisost. Theophyl & Nicholaus de Lyra*, illum locum exponunt. Purgatorium itaque papisticum, ab hoc loco (horum iudicio) stabiliri & confirmari non potest.

Phrasis linguæ Hebraicæ & Græcæ (quia sacrarum literarum fontes sunt) ad hanc AEquipollentiam meliusintelligendam, a Theologiæ candidatis, diligenter obseruanda est. Similiter, multiplex variandæ sententiæ ratio, apud Latinos Qua de re, Erasmum Rhoterodamum consulere *poteritis, lib.* 1 *Commentar de Copia*. Hos interim versus legere poteritis.

Non omnis, quidam: non omnis non, quasi nullus
Nonnullus quidam: sed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus: nō quidem nō, valet omnis
Non alter, neuter: Neuter non præstat vterq;.

Atq; huius Æquipollentiæ manifestandæ causa, audite quæso ex me, exemplum ridiculum. Habet in manu sua, stulrus meus puer, quatuor lapillos, cum sorore paruula ludit, lapillos hos suos abstulisse conqueritur. Ostendit mihi plorans, bis duos, nisi hos (inquit)

ego

ego habeo. Stulte puer, audi me, nullos abstulit soror tua. Quos enim in manu retines, & quatuor, æquipollent: bis duo, semper quatuor faciunt. Silet tunc meus paruulus, lacrymas mappa pendula abstergit. & quietus est. Euge (iuuenes studiosi) in docendo & instruendo dexteritatem meam: ego, vt videtis, vno verbulo, hunc meum paruulum, subito creaui Dialecticum. Vtinam ego, simili modo, quum orta tempestas fuerit, Eulaliam meam possem compescere.

Imprudentius forsan hoc dictum excidisse existimetis (*Creasse*) me Dialecticum, quod *D. Papa*, iure hæreditario sibi vendicat, & inter Casus Papales est illi reseruatum, suæque Cathedræ agglutinatum. Ego tamen ab illo (homine peccati) veniam non deprecabor: Papæ omnipotentiam & Deitatem mentitam, neque veneror neque vereor. Per Dei gratiam Argallo seni, & iam iam morituro, nocere & incommodare non potest. A Tartaro & Gehenna (misericors pater) libera animam meam, *Purgatorium Papisticum* non metuo. *Tertium enim locum (cum Augustinmo) penitus ignoramus, imo in sacris scripturis, eum non inueniemus, Hyponostic. lib.* 5.

Conuersio.

Conuerſio propoſitionum triplex eſt, *Simplex* conuerſio, per Accidens, & per Contrapoſitionem: Conuerſio, eſt migratio ſubiecti in locum prædicati, & prædicati in locum ſubiecti, quantitate & qualitate manente eâdem. Pro his duabus prioribus conuerſionibus, hic ſequens verſiculus, memoriæ mandari poteſt.

Ecce, Tibi, ſimplex vertit: Facit, Edo, per Acci.

In quo, hæ quatuor vocales, *A.E.I.O.* notandæ ſunt. *A*, ſignificat generalem affirmantem. *E.* generalem negantem. *I.* particularem affirmantem. *O.* particularem negantem, vt in Syllogiſmorum modis, poſtea manifeſtum vobis faciemus.

*S*impliciter conuertuntur, propoſitiones generales negantes, vt nullus vrſus eſt leo, ergo nullus leo eſt vrſus.

Vrſa, quid infrendes, quid dētibus incutis An- (trum?
Vrſa, cares cauda, non potes eſſe Leo.

Et, nullus homo eſt ſaxū, ergo nullum ſaxū eſt homo. Similiter, cōuertūtur ſimpliciter, particulares aienteset affirmātes vt, quædā fortitudo eſt virtus, ergo quædam virtus eſt fortitudo vt eſt in prima huius uerſus parte.

Ecce, Tibi, Simplex vertit.

Et notandū eſt interdū generales affiirmātes, conuerti ſimpliciter, viz. ſi prædicatum ſit vel Definitio, vel Differentia, vel Proprium, quorum natura, conuerſionem cum ſuo ſubiecto pati-

patiuntur, vt omnis homo est animal rationale, ergo omne animal rationale est homo: hæc definitio est hominis. Omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo: hæc differentia est eiusdem, Omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo: hoc, hominis est proprium. Simplex hæc conuersio (vt videtis) in reciprocis & conuertibilibus, non est reprehendenda.

Per Accidens conuertuntur, vniuersalis affirmans, & particularis: vt omnis homo est risibilis, ergo quoddam risibile est homo. Similiter, vniuersalis negans & particularis, vt nullus homo est lapis, ergo quidam lapis nõ est hõo, vt in huius versus parte posteriori apparet

Facit, Edo, per Acci.

Tenuis hæc, & ieiuna per Accidens conuersio, in Syllogismorum Reductionibus, aliquem vsum habere, non negauero. Modi namque imperfecti, per hanc qualemcunque conuersionem, ad modos perfectos reduci possunt, Sin vero vobis placeat (quod facere debetis) ex modis vsitatis & perfectis ratiocinari, non erit vobis opus, hac conuersione per Accidens vt neque Syllogismorum Reductionibus, omnino vti. Itaque, aut reiici tanquam superfluum, aut tanquam minus necessarium, benè omitti potest, vt ego arbitror. Diiudicent hanc rem, Academici nostri: nolo enim in cudendis nouis dogmatibus Papa esse, i. nolo esse homo

 singu-

singularis.

Tertia conuersionis forma, est per Contrapositionem, vel contra Oppositionem: quæ tum fit, quando termini finiti, per negationem Prædicati & Subiecti, conuertuntur in terminos infinitos, vt homo est risibilis, ergo quod non est risibile, non est homo. Esau, *fuit rufus & hispidus, Genes.*25. ergo, qui non est rufus & hispidus, non est Esau. Iacob frater, per Rebeccæ matris astutiam, Isaaco patri imposuit, qui putabatur fuisse primogenitus Esau, reuera tamen non fuit.

Hæc conuersionis forma per Cõtrapositionẽ, gignit figuram secundam, quod diligenter notandum, iudico. Porro, eius vsus, in obscuris propositionibus illustrandis, & in arguendo ab Oppositis, valdè commodus est, modo appositè illud faciamus. Ioannis ad Oppositum (me puero) nihil aliud fuit, quàm garrulus & loquax Sophista. Sic itaque pugnando & repugnando disputemus, vt veritati agnitæ, nos seriò nunquam opponamus. Ioannis ad oppositum, nomen ignominiosum, fugiamus. Caueamus verò diligenter, ne contra Deum opt. Max. exercendi ingenii causa, vnquam disceptemus. *Impia est consuetudo disputandi contra Deum, seu ex animo illud fiat, seu simulatè.* Cic.

Propositio Hypothetica.

Propositio Hypothetica, triplex est: Conditionalis, (Si) *vt, si nihil attuleris, ibis Homere foras.*

foras. *Copulatiua* (Et) vt, *Deus est & Clemens, & Misericors*, *Exod*. 34. *Disiunctiua (aut)* vt, Arrius fuit, aut hæreticus aut orthodoxus. Papistici Sacerdotes, sunt aut pastores boni, aut mercenarii homines.

Ex propositionibus Hypotheticis, Syllogismos Hypotheticos, facile conficere poteritis, si minorem propositionem addere volueritis, quod facile factu reperietis. Syllogismus Disiunctiuus, vt sit bonus & completus, plenam membrorum enumerationem requirit, quemadmodum mox audietis.

In Conditionali hypothetica propositione, hæc regula obseruari potest : A positione Antecedentis ad positionem Consequentis, sequitur Argumentatio. Similiter à negatione vel destructione Consequentis, destruitur Antecedens: vt, si homo est, animal est, sed homo est, ergo animal est. *Si Thomista, tunc Idololatra*, sed Thomista, ergo Idololatra. Thomas enim Aquinas (*qui est Angelicus doctor*) dicit *Imagines esse colendas eo honore, quo exemplar seu Prototypon. Itaque Christi Imaginem esse adorandam Latria, Aquinas, in* 3. *libr. Senten. Dist*. 2. Cuius opinioni, *Holcot* (qui est alius scholasticus doctor non indoctus) contradicit, *in libr. Sapient, Lectione*, 127. Vtcunque hæc doctrina, ab Angelico doctore est profecta, terrena est tamen, *non Angelica* doctrina: & **Aquinas, Idololatra.**

à

à nullis ſcriptoribus, nec veteribus, nec modernis, niſi à *Thoma* ſolummodò inuenta & mundo protruſa, quod vobis iuuenibus, diligenter notandum iudico. Atque porrò, (quæſo auſcultate) in propoſitionibus Conditionalibus reciprocis & conuertibilibus, valet conſequentia, à Poſitione Conſequentis, ad Poſitionem Antecedentis: vt, ſi equus eſt, hinnibilis eſt, at, eſt hinnibilis, ergo eſt equus. Hæc conſequutio reprehẽdenda non eſt. Negatiuè, hoc modo: ſi hòmo eſt, animal eſt, ſed non eſt animal, ergo non eſt homo.

Huius Conditionalis, in argumentando, multiplex, & frequens eſt vſus. Copulatiua hypothetica propoſitio, per duplicem coniunctionem copulatiuam dignoſcitur, vt, Socrates eſt & vir prudens, & bonus homo. *Marcus Cicero*, & bonus Conſul eſt, & optimus Orator. Hæc Copulatiua, quid ſit, noſſe non nocebit: nemo hoc reprehendere poteſt. Sed eius in argumentando vſum, adhuc non animaduertimus. De rebus ſuperfluis, benè monet Mediolanenſis Ambroſius, *Multa oneri, moderata vſui. Epiſtolar. lib* 7. Itaque, neceſſariis & vtilibus præceptiunculis (quæſo vos iuuenes) contenti ſimus, non neceſſarias & ſuperfluas, vt onera & impedimenta, reiiciamus.

Propoſitio Hypothetica diſiunctiua eſt, cuius partes, coniunctionibus disiunctiuis connectuntur

nectuntur: vt, omnes ſacerdotes Papiſtici, ſunt aut *Clauſtrales*, aut *Sæculares*: *S*unt aut *Regulares*, aut *Irregulares*. Certè, difficile eſt regulas bonas & pias obſeruari, inter tam irregulares, & irreligioſos homines.

Qui curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt. *Iuuenal. Satyr. ſecund.*
Huc aptè Dilemma Cornutum referri poteſt, (eruditiſſimo Keckermanno monitore) quod argumentandi genus, tunc ſolidè conſtringit, cum diuiſio fuerit plena & perfecta. Itaque, hoc Ariſtippi, non eſt efficax. *Si vxorem duxeris, habebis aut pulcram, aut deformem: Si pulcram, habebis communem, ſin deformem, habebis pœnã.* Ad quod Phauorinus, apud *Gellium, lib. 5. cap. 11.* rectè reſpõdet, eſſe imperfectam diuiſionem. Sic enim dici debuit, omnem mulierem, aut pulcram eſſe, aut deformem, aut mediam.

Hic mihi in mentem venit, *D*edali prudentis patris, ad Icarum filium, iuuenem temerarium, graue conſilium, *Medio (inquit) fili, tutiſſimus ibis.* Quid ſi ego ſimiliter vobis iuuenibus, in ducenda vxore perſuaderem: neq; formoſas neq; deformes, ſed medias eſſe quærẽdas vobis Vtcũq; ſic moneo, vos eas eligite quę vobis optimè placent: nihil enim impedio, modo optimas & vobis commodiſſimas. Nimium ne properetis quæſo: *S*at cito ſi ſat bene. Malas & moroſas facillime reperietis, nisi bene

caueatis

caueatis. Inuenit *R*ex Salomon, virum de mille vnum: mulierem ex omnibus non inuenit, Ecclesiastes 7. 29: Deus bone, mulierum bonarum, & verarum differentiarum, quanta paucitas, quanta penuria? Itaque cauete.

Pergamus vno vel altero exemplo, has Disiunctiuas, clariores facere. Omne animal, aut rationale est, aut irrationale.

Omnis homo, *tangens montem sinai, lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, Exod.* 19. Atque in arguendo sequitur hoc modo: A positione primæ partis, ad destructionem posterioris partis, bona est consequutio: vt terra aut mobilis est, aut immobilis, sed terra non est mobilis, ergo est immobilis, vt antea in Cōditionali explanatum fuit. Dauid, propter numeratum populum, punietur aut fame, aut bello, aut pestilentia, sed neque fame, neque bello, ergo Pestilentia, 2. *S*am. 24. Hic consulere poteritis, locum à Diuisione, à *S*peciebus, & à Partibus: horum enim locorum cognitio, quomodo Hypothetica disiūctiua valeat, & in arguendo sequatur, commodè vos docebit.

Huius consequentiæ vis, in membrorum Oppositione & Disiunctione dependere, manifestum est. Vnde, vitiosas esse eas necesse est, cum membra sunt subalterna, & subordinata. Secundo, recta disiunctio requirit plenam membrorum enumerationem: vt, hæc

Care-

Ceremonia, eſt vel pia vel impia, eſt autem hæc non impia,ergo pia & licita.Reſpondendum vobis eſt,imperfectam eſſe partium enumerationem:addendum enim fuit,aut Indiffe rens,& Adiaphora, Hanc diſtinctionem, vtinam fratres noſtri imbecilliores, melius conſuluiſſent.Imbecillos eos appello,proteruos & præfractos,adhuc non denomino.

Hypotheticus *S*yllogiſmus Conditionalis, ſublata conditione , ad Categoricum ſyllogiſmum facile reduci poteſt,hoc modo.Si homo eſt, riſibilis eſt (deme conditionem)& tunc,talem ſyllogiſmum bonum & legittimũ inuenietis,Omnis homo eſt riſibilis, Socrates eſt homo,ergo *S*ocrates eſt riſibilis:bonus eſt hic ſyllogiſmus,in (*D*arii) de quo poſtea dicemus.

De locis Perſonarum.

Loci *P*erſonarum ſunt,Genus,Natio, *S*exus,AEtas,Educatio, Habitus corporis, Victus & conuictus, ſeu conuerſatio noſtra,Nomen, Mors,& quæ mortem conſequi ſolent,vel fama poſt mortem.Hi loci,ſeu Circumſtantiæ, probabile duntaxat argumentum efficiunt,& vix probabile quandoque: neceſſarium nunquam gignunt:& referri hæc poſſunt ſingula (non incommodè) ad locum externum de

Acciden-

Accidentibus, seu Contingentibus. Quod, ante me fecit *Ant. Gorscius*, in re Dialectica, vir doctus, & bene exercitatus.

1. A genere seu a Semine et Parentibus: vt, fortis est quoniam ad Hercule, vel Theseo, vel Alexandro Magno, est oriundus.

Fortes creantur fortibus, et bonis.

Improbus est, quoniam improbis parentibus natus est, vt, *Mali corui malum ouum.* Bonus David, Absalonem habuit, filium pessimum. Achas impius, optimum filium Ezechiam Regem. Itaque, videtis (iuuenes) argumẽtum hinc deductum, necessariò non sequi, sed contingenter. Verissimè igitur, & suauissimè vetus Poeta Euripides cecinit.

De Nobilitate, parum laudis prædioarc possum:
Bonus enim vir mihi nobilis videtur:
Qui vero nõ est iustus, licet a patre meliore,
Quã Iupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi.

Hoc à genere & semine argumentum, in animantibus rationis expertibus, multo probabiliùs consequutionem habet: vt illud Horatii Flacci ostendit.

Horat. Carm. lib. quarto.

Est in Iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces,
Progenerant Aquilæ columbam.

2. A natione & Patria: vt, *Anacharsis* philosophus, barbarus fuit, quoniam *Scytha* fuit Obiicienti quod Scytha, & homo barbarus fuerit,

falsè

falsé respondet,& nos Scythæ, vos barbaros esse, arbitramur.

Ille, vel ille, perfidus est, quoniam *Pœnus*: bibaculus, quia Germanus: superbus, quia Hispanus. Nouis spargendis & dilatandis ociosè deditus, *quia Atheniensis Act.* 17. Vafer & inconstans, quia Gallus: libidinosus, quia Italus, mendax, quia Cretensis. Hinc illud Pauli ex Epimenide, *dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres Pigri, Tit.* 1.2. Et tamen, qui hoc dixit Epimenides, mendax non fuit. Dicendum itaque est, nationem illam ad mendacia procliuem fuisse, omnes tamen Cretēses actu mendaces non esse.

A *Sexu* vt mulier est, ergo inconstans ergo timida, verbosa et garrula: vt Socratis *vxor Zantippa* (quam retinebat homo nimis prudens patientiæ suæ exercendæ gratia) vt ipse apud Zenophontem testatur. Nollem ego vxorē meā, matula sua, patientiam nostrā sic exercere. Talis fuit Affrania, Licinii Buccionis Senatoris vxor, mulier impudentissima, & clamosissima, vt habet *Valer, Max.* lib. 8. aliæque huius fermenti quàmplurimæ, vt est notissimum. Habent igitur & senatores, & magni viri, quandoque Zantippas & Afranias suas, & sues suos. Ha, ha, he: non enim hic possum me continere. 3.

Est solatium miseris, in pænis habere consortem. Bonæ tamen, & sanctę feminæ, tales non sunt vt intemerata virgo *Maria, Chistotocos, & Theotocos*) virgo & martyr Theodora, *de qua Ambrosius scribit, lib. de virginbus.* Et Elisabetha, nuper Angliæ regina nostra nobilissima (nostra Cornelia) aliæque permultæ . Neque hic inter bonos, prætereunda est *Penelope*, Vlissis, Ithaci principis, couiux castissima, & amantissima consors.

Ouid. 1. lib. Elegiar.

Penelope mensit quamuis custode careret,
Inter tam multos intemerata procos.

Et ne videar ingratus hospes, docta. & religiosa fæmina, D. *Katernia Cook*, claris parētibus prognata *Henrico* Killigreo Cornubiēsi Armigero primo enupta, postea equiti Aurato, ad exteras nationes sæpius legato & Oratori Regio, prudentissimo, ambobus nūc in Domino placidè requiescentibus. Quibus, me plurimū deuinctum & obligatum fuisse, non possum non hoc in loco ingenuè confiteri, & posteritati notum facere. Cuius erudita *Coniux*, in mei coniguii initiatione apud *Cornubienses Anglos, cum Anna Daniel* (virgine generosa) hoc sctipsit Epithalamiū carmen, doctum sanè & elegans Tetrastichon.

D. Caterina Cook.

Inceptis Argalle tuis pater optimus adsit.
Respiciat placide tèq; tuamque precor
Anna sit vt puro tua coniunx casta marito.

Vos

Vos ambo Christi (membraque casta sui.

Dicendum itaque est, mulieres natura sua, & sexus imbecillitate, maiori ex parte incon=stantes, timidas, verbosas, & garrulas esse, tamen per Dei gratiam, omnes tales non esse.

4. Ab ætate, vt puer est, ergo ei ignoscendum est. Parcendum pueris & paruulis esse, ego libenter dixerim, neque eorum ramos tenerrimos duriusculè tractandos, affirmauerim: sed, sub ferula & disciplina educandos esse, certò pronuntiauerim. Melius tamen hoc modo arguere poterimus: puer malus est & nequam, ergo castigandus est. *In tempore eum castiga: qui enim parcit virgæ, odit filium, Prou.* 13. Et rursus, *Sultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam, Prou.*22. modò Orbilios plagosos instructores, non experiantur, *Nam, punire malum, charitas est, vt habet Hieronymus.* Hoc bonum est & salutare, seu in pueris castigandis, seu in adultæ ætatis hominibus, quibuscunque, si modum & rationem non excedat. 5. Ab æducatione, vt prauus est, quoniam malè æducatus: aut bonus est *Ctisias & Alcibiades*, quia Socratem magistrum & instructorem habuerunt. Et tamen Ctisias, malus vir fuit, & sodalis eius *Alcibiades, patriæ proditor fuit*, et homo leuissimus, nunc pro Patria, nunc contra Patriam dimicans, veteri Eucebolio inconstantior, de cuius le-

 uitate

uitate, Ecclesiastici scriptores narrant, *vt Socrat. histor. Ecclesiastic. lib. 3.*

Abraham, fidelium pater, benè educauit *Ismaelem* filium suum, hic tamen, fratrem suum bonum Isaacum, persequutus est. Itaque, ex paternis ædibus eiectus fuit, Genes. 21. Et doctissimus *Seneca, Neronis Cæsaris præceptor fuit*: sed, in eo educando (vt omnes norunt) oleum & operam perdidit. *Senecam* præceptorem occidi iussit, matri genetrici non parcebat: vnde, eius temporis Poeta non malus, in eum salsè, hoc modo iocatus est.

Ex Suetonio

Quis negat Æneæ, magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

6. Ab habitu corporis externo, vultu, complexione, vestibus, incessu tardo vel præcipiti, & similibus. Ex hoc loco, Zoilum, malum & nequam hominem fuisse, colligit festiuus *poeta Martialis.*

Martial.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus:
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Zopyrus.

Socratem Atheniensem, virum prudentissimum ex vultu & proportione corporis, *quidam Physiognomiæ* curiosè periti, natura ebriosum, mulierosum & stupidum, iudicarunt. Talis reuera fuissem (inquit *Socrates*) nisi Philosophiæ studium, melius me informasset. *Ex visu cognoscitur vir. & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & in-*

ingressus hominis, enunciant de illo, Syrach, 19. probabiliter scilicet, non necessariò.

Similiter de Thersita, & eius informi deformitate, colligit Homerus, pessimum hominem fuisse. *Thersites, fœdissimus omnium qui ad Troiam nauigauerunt, altero oculo strabone, altero pede claudo, angustissimis humeris, & ad pectus vsque contractis, vertice acuminato, raro capillo, & eo impetigine astricto, Anglicè (a scuruy companion)* atque inter alia, ab optimo & suauissimo Poeta, illi obiecta, bonos viros odio habebat.

Pelidæ, inprimis erat, atq; inimicus Vlyssi. *Achilles.*
Maior enim nulla potest esse reprehensio, quàm præclarissimis viris esse inimicum, *Plutarch. de Inuidia & Odio.*

A conuictu, victu, & societate eorum quibuscum viuimus: vt, improbus est, quoniam cum improbis & malis vivit & conuersatur. Hoc plerumque verum est, nisi tales congerones tempestiuè relinquamus. *Qui enim picem tetigerit, iuquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, superbiam induet, Syrach.* 13. Didicit Ioseph *in regia Pharaonis, per eius salutem iurare, Gen.* 42. *Petrus, ad prunas stans, in Palatio Pontificis, negauit Christum, & peierauit, Ioan.* 18. *Paulus Apostolus, in Pharisæorum* & Scribarum conciliabulis, blasphemus fuit, persequutor fuit, contumeliosus fuit 1. *Tim.* 1. 7.

*Tim.*1. Postea uerò, de Cælo conuersus, & Christi seruus factus, nouus homo, noua creatura fuit, pro magistro Christo, contra superbos Iudæos acriter disputans, affirmans quoniam hic est Christus, Act. 9. A malo itaque hominum consortio & societate impura, tanquam à Colubro, tanquam a rabido cane, tanquam à pestis contagione, fugiendum vobis est. Quod enim Hypocrates de peste vitanda prudenter monuit, illud vobis hic faciendum suadeo, *Citò, Longè, Tardè.*

8. A nomine & Cognomine, seu ab Etimologia Nominis. Hinc interdum ioci & cauillationes, atque etiam malæ suspiciones oriri solent inter homines. *Ne ponat oro, Dominus meus Rex, cor suum, super virum istum iniquum Nabal quoniam secundum nomen eius, stultus, & stultitia est cũ illo. Abigael vxor, ex mariti sui cognomine*, eum esse insipientem & stolidum colligit, quia nomen eius Nabal fuerit, 1. Sam. 25. Ex hoc loco, plurimæ vxores, ☞ Abigaelis exemplo permotæ, maritos suos, & stultos vocant, & stultos faciunt: subtiles profectò & acutæ disputatrices.

Rectè Verres dictus est, inquit *M. Cicero*, quia verrit et rapit omnia. Hieronymus Pater, quendam Vigilantium aduersarium suum, Dormitantium vocat. *In hunc scribendo, ita debacchatus est (inquit Roterodamus) vt in illo*

illo pluſculum modeſtiæ cogar deſiderare. Vti-nam Ar*gumētis pugnaſſet,& à cōuitiis ſeſe tem peraſſet.* Sic Eſau,homo impius,Sarcaſmo ama rulento,in Iacobum fratrem ſuum ludit.*Iuſtè (inquit) vocatum eſt nomen eius, Iacob: iam e-nim me ſupplantauit bis,* Geneſ.27.Iacob enim Hebraicè,ſupplantator dicitur.

Etimologiæ aliquæ ſunt ineptæ,inutiles,& ridiculæ,neque in argumentando, vllo modo probabiliter valent,eruditis indignæ: vt Petra quia pedibus teratur. Aqua,à qua omnia: Mi-les,quaſi mira res in Mundo. Magiſter, quia ter magis ſit aliis: Preſbyter, præ aliis ſcilicet ter bibens: Pulcra ſane notatio nominis, & Preſbyteris ſtrenuè potantibus, digniſſima. Sebaſtianus,quaſi(Se)ſequens:(B)beatitudo, (Aſti)Aſtium, quod eſt ciuitas, &(Ana)ſur-ſum.Quaſi ſequens beatitudinem ciuitatis ſu-pernæ.Hànc pulcram notationem,habet Iaco-bus de Voragine,in legenda Aurea, de S.Se-baſtiano. Quis ad hanc barbariem (inquit Keckermannus) riſum tenere poteſt? Atque tales ineptas Etimologias,paſſim apud ineru-ditos ſcriptores Eccleſiaſticos reperietis,quē-admodum in illis legendis,ab illo,ſæpiùs ob-ſeruatum fuit. 9.

A Fortuna(ſic vulgò nuncupata)ſeu veriùs à bonis Externis: vt vir probus eſt, ſcilicet quia diues eſt: pulcra profectò,& valida ratio-

cinatio. Reuera, sic vulgo diuites (quamuis pessimi sint homines) hodie reputantur, laudamus & admiramur eos, namque,

Iuuenal. Satyr. 3. *Quantum quisq; sua nummorum seruat in Arca Tantum habet & fidei.*

Cauete (iuuenes) ne hæc larua decipiat vos. Laban enim diues fuit, sed bonus homo non fuit, sed sordidus & auarus, & in bonum Iacobum, seruum fidelissimum, ingratissimus. Similiter, diues ille apud Diuum Lucam, helluo nequissimus fuit, bonum Lazarum, hominem morbidum & famelicum contemnens: itaque non obstantibus diuitiis, prout dignus fuit, *In Inferno sepultus fuit*, *Luc.* 16.

Probabilius hoc modo, Diues fuit, ergo malus fuit. *Diues enim difficulter in Regnum Cœlorum intrabit*, Mat. 19. Cauete igitur vobis O vos Angliæ nostræ fœneratores, & Euclio☞nes tenacissimi, rapacissimi, crudelissimi homines. Vos ego indignabundus alloquor, qui ex sudoribus famelicorum pauperum, ociosi ociosè viuitis, Iudæi, non Christiani homines, Vsurarii Tarbith, Vsurarii Nesec, Pecus hominum, trium literarum homines, (nescio quo Fur. vos nomine appellem (Anthropophagi, & hominum viuentium deuoratores, quod truculenti *Cambales* facere non assolent. Hi enim mortuos, vos viuentes deuoratis, & quasi absorbitis. Cauete inquam, *qui enim in Diuitiis suis malè confidunt* (*vt vos facitis*) *difficulter i-*

regnum

regnum Cælorum intrabunt,Marc.10.Itaque,
ne dicatis non prædictum fuiſſe: rurſus dico,
aut cauete, aut *knauate*, profectò magna ex
parte,inſignes & egregii nebulones eſtis om-
nes:(Eccho)omnes.

A morte,vt violenta morte oppreſſus eſt, 10.
ergo malus eſt:vel ſubitò moritur,ergo impi-
us fuit. Plumbeum eſt hoc argumentum, &
male ſequitur·Non enim ſolum ſicarii,patriæ-
que proditores, homicidæ & ſimiles quiſqui-
liæ,rotam & crucem experiuntur, ſed *Dei
Martyres*,ſanctiſſimi,& innocentiſſimi homi-
nes.Ab hoc loco,cum Papiſtis noſtris, ſic ar-
gumentari placeat:Storæus, Campianus Ieſui-
ta, Sherwooddus, Nortonus, & nuperrimè
Clarkus & Watſonus,huiuſque fermenti ſimi-
les,morte violenta per Magiſtratum noſtrum
ſublati ſunt,ergo boni viri non fuerunt. Hãc
conſequutionem tanquam inſufficientem,ne-
gaturos illos,ego mihi certò perſuaſerim. Ta-
les etenim,ſuæ Eccleſiæ Martyres eſſe vendi-
cant,& in Legenda ſua Aurea, in Sanctorum
album & Callendarium, pulcrè diſponunt.
Sint tales(in malam rem)& decem tales,Ro-
manæ SynagogæMartyres ſi voluerint,noſtræ
Eccleſiæ Martyres non erunt.Non enim ſup-
plicium facit Martyrem,ſed cauſa.
In primitiua Eccleſiæ ſanctæ perſequutionem
multi boni & pii fratres,morte crudeli & vio-

lenta, pro christi nomine extincti sunt, vt est notissimum. Et, in postrema, sub Diocletiano Imp. ex Brytannia nostra, S. *Albanus, & Amphybalus*, hac Martyrii corona nobilitati sunt. Itaque, mors violenta & extorta, non debet sanctis Dei viris praeiudicare. aut malos & impios homines multùm decorare.

Phyllis; ap. Ouid. *Careat successibus opto,*
Quisquis ab Euentis, facta notanda putet.

11 Quae mortem consequuta sunt, vel fama post mortem, Eius scilicet mortem, bona fama sequuta est, ergo vir bonus fuit. Et, malè de eo iam mortuo loquuutur homines, ergo malus homo fuit. Vt vt, talis homo malus fuit, profectò mala est haec consequutio. De morte *Caii Lelii*, sic loquitur *M. Cicero*. *Quàm charus (inquit) ciuitati nostrae fuerit, moerore funeris indicatum est.* Oratoris Romani haec probatio, mihi non probatur: probabilis forsan, sed necessaria non est. Herodes enim, cognomento Magnus, astutus homo, & callida vulpes, multos ex nobilioribus, in ipso mortis articulo, crudeliter occidi iussit, vt testatur *Hebraeorum Antiquarius, venerandus Iosephus*: vt scilicet in illius funere, Herodis mortem viderentur piè lamentarier, Herodes itaque bonus Rex fuit, & lacrymis dignus, hoc non sequitur. Illi enim, charissimos suos amicos extinctos deplorabant, non Herodem, tyrannum truculentissimum

Antiq. lib. 17.

ſimum.

Porro, de Chriſto Ieſu, hoc notandum eſt, quamuis fuerit agnus ille caſtus *& immaculatus, tollens peccata mundi*, ſtatim tamen poſt mortem, leuis & mentiens fama, illum ſeductorem fuiſſe, in Iudæa, falſò & malitioſè proclamabat, Mat, 27, 63.

Erant, *qui Laidem Corinthiam, & Floram illam Romanam*, notiſſimas meretrices, poſt mortem carminibus ſuis Panegyricis egregiè celebrabant. Erant etiam, qui impuram Venerem, *D*eam faciebant, & in Cælo inter Planetas (creaturas nobiliſſimas) collocabant. Nollem ego quenquam, vxorem meam (ſi formoſa eſſet (cũ *Candaule ſtolido*, hoc pacto laudare. Quod ſi facerent, ſanè me cornutum fore, ſtatim diuinarem.

Loci Rerum.

De locis, ſeu circumſtanriis Perſonarum, quæ ad amplificandum magis quam firmiter probandum faciunt, iam diximus: ſequuntur nunc loci *R*erum, qui ſecundum vulgatam diuiſionem, ſũt aut Interni, Externi, vel Aſſumpti. Quæ locorum diſtributio (vt eſt à plurimis tractata) mihi adhuc non ſatiſfacit, vt neque multis aliis, viris doctiſſimis. Materialis enim & Formalis cauſa, quas inter locos Externos

ponere

ponere solent, sunt potius inter locos internos enumerandi, quia ad rei Substantiam propiùs pertinent, si quicquam ego iudicare possum. Porro, hæc duo Accidentium loca (*Contingentia dico, & Nomen Rei*) alibi tractantur, inter Personarum, ab his omnino distinctos & separatos, quemadmodum modo audiuistis. Ideoque, hic rursus non otiosè repetenda aut obtrudenda vobis. Tamen, ex multis autoribus, ego illam viam sequutus sum, quæ mihi deliranti seni, præ cæteris probabilior, & ad veritatem arctiùs & proprius accedere videbatur. Itaque, volente Domino, sic progrediemur.


Loci Rerum.
Interni.
In substantia.
Definitio, Genus, Species, Proprium,
Totum, partes, & Coniugata,
Circa substantiam.
Adiacens, Actus,
Subiectum.
Externi.
Cognata
Causa,
Materialis, Formalis,
Efficiens, Finalis.
Euenta, vel Effecta, ex causis prouenientia.
Applicita, seu Circumstantiæ, quę circa
rem sunt, eiquæ adiacent, vt hæc duo
Locus.
Tempus.
Accidentia.
Contingeutia.
Nomen Rei.
Similia.
Comparata
Maiora.
Minora.
Paria.
Repugnantia.
Opposita quatuor,
Contraria
Mediata.
Immediata.
Contradicentia.
Relata, secundum
Esse.
Dici.
Priuantia
Differentia.
Numero.
Specie.
Genere.
Predicamentis.
Assumpti, seu Inartificiales,
vel Testimonia
Diuina.
Humana.

Sed primum, ante locorum tractationem, hoc vobis notandum est: quodcunque argumentando probare voluerimus, illud cõclusionem nostram faciamus. Porrò, & hoc sequens consilium, prætereundum non est, omnia Argumenta, ex suis locis quasi sedibus desumi, aut à Subiecto, aut Prædicato conclusionis nostræ. Si Medium vel Argumentũ sit Genus subiecti, aut Species, aut Differentia, aut Proprium, tunc Argumentũ ductum est a Genere, vel Specie, vel à Differentia, vel à Proprio subiecti conclusionis. Similiter iudicandum est, de Prædicato: vt, si Argumẽtum vel Mediũ sit genus, vel proprium prædicati conclusionis, tunc Argumentũ illud dicetur ductum esse, à Genere, vel a proprio prædicati conclusionis nostræ.

Valde vtilis est hæc præceptio, sed duriusculа (vereor) vobis iuuenibus, in hac arte nouitiis, & adhuc minus exercitatis. Posthac, cum *Rodolphum Agricolam* legeritis, vtilitatem magnam hinc peruenturam percipietis: & gratiam mihi seni (tunc mortuo) habebitis, quod rem tanti momenti intactam, silentio meo nõ præterierim.

Atque hic mihi perpendat Logicæ studiosus iuuenis, nõ tam quærendã Argumentorũ copiam, quàm habendum delectum. Idcircò media hæc, magis ponderabit, quam numerabit

bit. In bello videmus, non tam multitudine & numero, quàm robore & virtute vinci: similiter & nobis faciendum est. Vtque, *in multiloquio est peccatum & vanitas*, *Prou.* 10. ita in Argumentorũ numerositate, potest esse imbecillitas. Ad Oratores vero *P*lebeios, quibus cũ imperita multitudine negotium esse assolet, illud Poetæ pertinet,

Et quum non prosint singula, multa iuuant.

Definitio.

Definitio, est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit, *Arist.* 1. *Topic. cap.* 3. Et sanè, facilis non est disserendi & disputandi ratio, nisi quid sit illud de quo instituitur tractatio, vel disputatio, probè cognouerimus, si rei natura illud patiatur, Arist. 8. Topic. cap. secundo,

Cuicunque conuenit Definitio, & eidem Definitum: & à quocunque remouetur Definitio, ab eodem remouetur Definitum, vt est in Definitione hominis, satis manifestum, Arist. 6. Topicor.

Differentia, & Proprium.

Cuicunque conuenit Differentia vel Proprium, ei conuenit & res ipsa: vt, *S*ocrates est

rationalis, ergo Socrates eſt homo: & Chriſtus eſt inuocādus, ergo Chriſtus eſt Deus. Inuocatio etenim, propriè Deo conuenit, cuius nulla creatura (etiamſi Dominus papa fuerit) particeps eſſe debet. Et, Chriſtus nouit corda hominum, ergo Chriſtus eſt Deus. *Opus ei nō erat, vt quis teſtimonium perhiberet, de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine, Ioan. 2. 25.*

Negatiuè, hoc modo: hoc animal non eſt rationale, vel hoc animal non eſt latrabile, ergo hoc animal non eſt homo, vel hoc animal non eſt canis. Latrare vel latrabile, canibus eſt proprium, vt hinnitus equis, aut grunnitus porcis.

Quæſtio hinc oritur, non ſcholis noſtris (quas ego veneror) ſed riſu veſtro non indigna. Quare ſcilicet quoſdam auaros, grunnire dicimus, cum grvnnitus ſit porcorum proprietas, aliis ſpeciebus incommunicabilis. Nodum hūc Gordianum qui benè ſoluit, dignus eſt ex vino Falerno, ſtrenue potare. Reſponde igitur, aliquos homines Pythagoricam Metamſuchoſin induiſſe, aut per Medæam veneficam, aut Circen, incantationibus & Philtris ſuis, in Porcos, eſſe Papiſticè tranſubſtantiatos.

Carmina vel cælo, poſſunt deducere Lunam:
Carminibus Circe, ſocios mutauit Vliſſis.

Virg, Ecl. 8,

Fre.

Frigidus in pratis cantando, rumpitur anguis:
Ducite ab vrbe domū (mea carmina) ducite Dap

Et illos esse grundibundos, ex proprietate specificæ naturæ. Tales sunt omnes Epicuræi, omnesque auari (quos Paulus, Idololatras vocat, Ephes, 5, Gadarenis simillimi, sordidi & impuri homines.

Notandum porro est, veram et genuinam differentiam alicuius definitionis inuenire, rem esse maxime difficilem, propter intellectus nostri imbecillitatem, quoniam adhuc, *ex parte cognoscimus*. 1. *Cor*. 13, Sed pro veris differentiis sumuntur veris proximæ, Raræ sunt veræ *differentiæ* et rari sunt boni proximi Omne nimium, vertitur in vitium, i vicinum proximum. Aut si vspiā reperiri possint boni, rariores eos inuenimus *in Balliua* nostra: diligenter tamen cum *Diogene* accensa lucerna Meridiana, in foro, & viarū compitis pro illis inquisiuimus.

Vnius rei vnicum proprium esse potest. Arist. 5 Top cap. secundo. Omniaque propria, significant aptitudinem, non actum. Quamuis enim homo non rideat actu, aut Canis actu non semper latrauerit, tamen homo est sēper risibilis, et canis semper latrabilis, quemadmodum de *proprio prædicabili* antea notatū fuerat: Similiter de *Differentia*, indicandum est. Quamuis enim homo non semper ratio-

ne

ne vtatur actu (vt in ſtolidis, et inprouidis hominibus ſæpius apparet) homo tamen ſemper rationalis vel rationabilis dicendus eſt.

Coniugata.

Coniugata dicuntur, quæ ſub vno iugo ſunt deuincta, aut quæ ab vno verbo variè deducũtur, vt iuſtitia, iuſtus, iuſta, iuſte, Ariſt, 2 Topic cap 5, Horum remoto, vel tributo vno, tribuitur vel remouetur alterũ: veluti ſi iuſticia ſit laudanda, etiam iuſtus, & res iuſta, & quod iuſtè fit, laudandum eſt,

*S*ed hic duplici cautione vobis opus fuerit, propter quædam quæ vocis ſimilitudine videntur *Coniugata*, ſed re ipſa, Cõiugata Logica non ſunt, vt ſomnum & ſomnolentia, *S*cilicet, hic homo capit ſomnum: ergo eſt ſomnolentus, hoc non valet, quia ſomnus & ſomnolentia, non ſunt Coniugata Logica. *S*ecundò, cauẽdum, ne ex vna Actione inferatur Habitus: vt, Cambyſes iuſtè egit, dum iniuſtum *Iudicem Syſamnem* puniuit, ergo ſimpliciter & abſolutè iuſtus fuit, non valet, Aut hoc, *Noe ſemel* ebrius fuit, ergo *Noe* fuit homo ebrioſus, non valet. *Vna hirundo non facit ver, & vna Actio, non producit Habitum.*

Noui ego coniugatos aliquos, ſub iugo duriſſimo, per hos multos annos vinctos & de-

uinctos

uinctos, & adhuc (proh dolor) relaxari non possunt. Hos homines bene à Coniugatis argumentari posse, vos mecum affirmabitis. Hic nodus Gordianus, facile dissolui non potest. Non licet vobis, cum proteruis Iudæis, vxores vestras ob causas leuissimas dimittere: *Ab initio non fuit sic*, Mat. 14. 8. Itaque, ferendum hoc vobis adhuc est, fratres: adhuc (inquam) hoc, quicquid est oneris, portare & subire debetis. Ex Zantippa vxore pessima & morosissima, didicit prudens Socrates, patientiam.

Nobile vincendi, genus est patientia: Vincit,
Qui patitur: Si vis vincere, disce pati,

Hanc nobilem virtutem, & vos queso addiscite, si tamen poteritis. Aliud consilium adhuc non habeo. Vxorum morositas & proteruia, adhuc toleranda est, donec Deus qui coniunxit vos, separet. *Tunc laqueus contritus est, & nos liberati sumus*, psal. 123.

Ab his veris & logicis Coniugatis, argumenta negantia ducta, necessaria sunt & firma: ut non facit iustè, ergo non est iustus. Papa, Monarcha, & *princeps huius Mundi*, *Ioan*, 14. *cum Angliæ Regnum*, *Hispanorum regi Philippo* secundo dedit, iniustè fecit, ergo *Papa*, iniustus homo est. Iustitia etenim, suum cuique tribuit, quod dominus Deus noster Papa non facit. Cum Christianis principibus mitius agat, aut breui

breui forsan corruet suum. Babylon enim, ad nubes vsque exaltata diu, nunc vacillans, deiici debet, diu stare non potest. Zelus Domini exercituum, suo tempore, hoc perficiet: Os enim Iehouæ loquutum est.

Genus, & Species.

A genere Indefinito & indistincto, ad vnam speciem, non sequitur argumentum: vt, animal est, ergo homo est. Negato genere vniuerso, negantur omnes eius species: vt, non est arbor, ergo non est Platanus, nec Quercus aut patula Fagus. *Et, non iuit seruus tuus quoquàm, 2. Reg. 5*, ergo non iuit post Naaman Syrum, ad recipienda munera. Sed mentitur Giezi, itaque grauiter punitus fuit. Caueat ergo omnis mentiens, seu seriò illud faciet, seu simulatè. Illa enim Hieronymi distinctio, in *Iocosum, Officiosum, & perniciosum* (quasi illa Duo priora essent licita) neque mihi satisfaciunt, neque *S. Augustino*, ante me. *Os enim quod mentitur, occidit animã, Sapient. 1.* Argumentum tamen sequitur ab hoc loco, á Genere. Si enim Giezi, nusquam à facie *Elizei* Domini sui proficisceretur, tunc neque *Naamanum* in via pro munere sequutus est.

Genere vniuerso, cum signo vniuersali posito, ponuntur omnes eius species: vt, omne a-

nimal *fuit in Arca Noe, ergo Elephantes*, Leones, Vrſi, *D*racones, Pardi, & reliqua, *Gen 6.* Ab hac generalitate, nullum animal excipiendum eſt.

A ſpecie ad genus, firma Argumenta ſumũtur aientia, vt *Cicero* Conſul eſt, ergo Cicero Magiſtratus eſt. Negata vna ſolummodo ſpecie, non negantur omnes, vt non eſt prudens, ergo non eſt fortis, non ſequitur.

*S*imilis argumentandi ratio eſt, ab Indiuiduis ad *S*peciem, ſeu affirmatiuè, ſeu negatiuè: vt, Virgilius eſt, ergo homo eſt. *S*ublato vno Indiuiduo, non tollitur ſpecies: vt non eſt Virgilius, ergo non eſt homo, non valet. Pro hoc ratiocinandi genere, à Particulari ad Commune, videte quæſo, *Ariſt. 2. lib. Topicor.*

Totum & Partes.

Toto poſito, partes principales ſequuntur neceſſariò: vt, Dialecticus eſt, etgo non ignorat Inueniendi & Iudicandi rationem. Homo eſt, ergo habet cor, & caput, quæ hominis ſunt partes principales, *Ariſt. 6 lib. Topic. cap. 6.*

Sublatis partibus præcipuis, totum tollitur: vt Iauellus (ſcilicet, C*hryſoſtomus ille Iauellus, os aureum*) Dorbellus, Petrus Hiſpanus, & ſimiles, Eloquutionis imperiti ſunt, ergo tales non

ſunt

ſunt Rhetores.

*P*oſitis omnibus partibus, totum infertur neceſſariò, vt Ariſtoteles eſt *P*hiloſophiæ peritus, itaque Logicen, *P*hyſicen, & Ethicen non ignorauit.

Partes rei
- Conſtituendæ
  - Genus & Differentia.
  - Materia, & Forma.
- Iam conſtitutę.
  - Similares, ſeu Homogeneę, quarū idem eſt nomen totius et partis: vt quæuis pars aquæ, aqua eſt, & quæuis pars carnis, caro eſt.
  - Diſſimilares, ſeu Heterogeneæ, quarum idem non eſt nomen totius & partis: vt, vnaquęque pars manus aut arboris, nō eſt manus, aut arbor.

Loci circa Subſtantiam, vt Adiacentia, Actus, Subiectum.

Poſitis Actibus natiuis, debet præſupponi Subiectum: nam ſine Subiecto, ea exiſtere non poſſunt. Spiritum ducere & viuere, ſunt animalis actus natiui, itaque ſic arguere poterimus, Illud animal ſpirat, ergo illud animal viuit.

Sublato Subiecto, tolluntur *Adiacentia, & Actus:* vt, animus non eſt, ergo nec recordatio eſt, quia recordatio ſemper debet animo ineſſe. Et, non ſunt bipedales homunciones, qui Arietibus inſident, aut qui vimine & iunco

pugnāt cū gruibus(*Pygmai*)quia nulli omnino tales sunt. Sicque,de ingeniosi *Thoma Mori* putatiua & imaginaria Vtopia,& Purgatorio illo tremendo *Papyraceo Papistico, iudicandum vobis est.*

Hiisque adiungi possunt,*Platonis Respublica, Aristotelis* felicitas, *Ciceronis Orator,& Zenophontis Princeps, seu Cyropadeia* : & si *vultis,Balthasaris* C*astilionis Aulicus* : omnium,quæ vnquam legere poteritis(huius generis)exempla splendidissima.Namque,*Non Entis,nulla sunt* Q*ualitates, Attributa nulla.* ☞ Posito Subiecto,ponuntur Adiacentia natiua: vt,ignis est,ergo leuis & calidus.Et,si aurum in bursa vestra habetis(quod dubito, non est enim Articulus fidei)graue sit necesse est. Grauitas enim,auri Adiacens est natiuū. Sed multi sunt,qui de auro scribunt & loquuntur sæpius,cùm in *Marsupio* & Crumena sua,cum Petro,in *Actis Apostolicis,cap.*3, *nec aurum nec argentum* habeant,in quo Prædicamento, ego sum.

Loci Externi.

Externorum locorum, quatuor sunt genera, Cognata,Applicita,accidentia,& Repugnantia : Cognata, duplicia sunt, Causæ,& Euenta.

Mate-

Causarũ 4. genera

- Materialis, ex qua.
- Formalis, per quam
  - Accidentalis.
  - Essentialis.
- Efficiẽs, à qua,
  - Prima & infinita, vt Deus.
  - Secunda, ab illa prima pendens
    - Naturalis, vt Lapis decursũ
    - Violenta; vt lapis sursum
- Finalis, propter quam.

Materia est, ex qua res fit, seu ea sit naturalis, seu artificiosa: Qua posita, consequi potest Effectus: vt, sunt vites, ergo potest esse vinum, vites enim materia vini sunt.

Negata Materia, negantur et Effectus: vt non sunt vites, vinum igitur fieri non potest. Et, non sunt arbores, itaque poma expectare non possumus. *Stultus Agricola*, lignis carens, Pomarium suum succidit, pomis indignus, qui pomorum materiã eradicauit. Nam, sine Materia res confici non potest.

Forma, dat Esse rei: vel, Forma est, per quam vnaquæque res talis est, & à cæteris distat, quæ præcipua rei pars est, & est vel Accidentalis, vel Essentialis.

Essentialis forma

- Naturalis, vt forma hominis, rationale esse. Huc veræ differentiæ referuntur.
- Artificialis vt forma
  - Mensæ, Scamni, Hemicycli, Solii Regalis, seu Salamonis seu alterius cuiuscunque.
  - Ædificii, scilicet
    - Domus.
    - Theatri.
    - Nauis.

Posita forma, seu naturali, seu artisiciosa, ponitur res ipsa,& negata forma, negatur res ipsa,
Posita Efficiente Causa naturali,non impedita necessariò sequitur Effectus: vt, bibit ille Cicutam venenosam,ergo certè breui morietur, scilicet, nisi tempestiuè illi veneno restiteris. Ignis est, ergo non potest non vrere, scilicet non impeditus,& habens materiam combustibilem. Sidrach, Misach,& Abednago,in flamma non sunt vsti,*et odor ignis non transiuit per eos,Dan.*3,Ignis Effectus,fuit à Domino miraculosè repressus & impeditus.

☞ Est alius ignis,non tamen Purgatorius,neque Masculini,sed Fæminini generis (si quid hic mihi vellem,diuinare poteritis)pessimè vrens: de quo Poeta, *Accede ad ignem (hanc)iam calescies plus satis*, Vret enim periculosè, in ossa penetrabit,nisi per Dei gratiam magnam adiuuantem & reprimentem, impeditus fuerit, Itaque, cauete *(boni Iuuenes)* & rursus dico, vt non decipiamini,cauete obsecro,

Ouid. Elog. lib.2. *Verba puellarum,folijs leuiora caducis.*

Ouidius Naso,amoris artifex hoc dixit,itaque *illi(in sua arte)*credendum est.

Sublata causa Efficiente, necessariò tollitur Effectus, vt, sol in nostro *Horizonte et Hemisspherio*, non est ortus, ergo nec Dies est.

Finis

Finis duplex eſt: ſummus ſeu vltimus, & deſtinatus ad finem, Summus eſt, qui propter ſe, & non propter aliud expeti, & à nobis deſiderari debet, vt felicitatis & beatæ vitæ in ſæculo futuro, cum Deo, Angelis bonis, & omnibus Dei Sanctis, perpetua & æterna fruitio. Hocque ego Argallus (qui hæc ſcribo) expecto & deſidero, & Ioannes cum Ioanne dico, *Veni Domine Ieſu, veni ſuauis* & dulcis Samaritane, præpara me, præpara cor meũ, vt mundum hunc malum & meretricium relinquam, & libenter deſeram, & ſic veniam ad te. Et vos, dum tempus habetis, hoc ſimiliter mecum expectare, & anxiè ſolliciteque deſiderare debetis, ſi ſapere velitis, etiamſi iuuenes ſitis. *Mementote Creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, Eccleſiaſtes* 12. Moriuntur quotidie ſenes, moriuntur & Iuuenes: vbi, aut quandò, neſcimus.

Deſtinatus ad finem, vt Calx, lapides, cæmentum, & lignum, in aceruum colliguntur & parantur, Templi, parietis, vel domus cauſa. Cuius rei Finis, vel bonus vel malus eſt, ipſa quoque quæ ad ea tendunt, ſunt bona vel mala: vt, pax bona, ergo bellum gerere propter pacem, bonum eſt. Reip. & Eccleſiæ cauſa hoc facere, optimum & præſtantiſſimum eſt: non neceſſarium mouere, mouentibus ipſis, ſæpe periculoſum.

Bellum, in timidas mulieres (quamuis morosas) mouere, quæ præter Colum & linguas suas nihil habeant, quò seipsas tueantur & defendant, virile & honorificum est, aut ego dissimulo, nostrates etenim, si rem benè considerare velitis, bellicosæ illæ veteres Amazones non sunt,

Fæmina sum, & virgo, natura mitis & annis,
Non faciunt molles, ad fera bella, manus.
Quid mihi cum ferro, quid bellica tela puellæ,
Aptior est digitis, lana, colusq; meis.

Nouimus tamen aliquos, qui cum mulieribus fortiter sanè & animosè bellum gerebant: Scilicet, *in pace leones, in prælio ceruos, vt habet vetus pater Tertullianus,* de Corona Militis. *Filÿs Ephraim nō dissimiles, habentes arcus & arma, fugerunt tamen in die belli, Psal.* 78. Profectò, strenui & animosi milites. Sed hoc seu bellum, seu Duellum, malè procedere solet. Contigit enim illis nonunquam, quod *Herculi ab Omphalo,* diminutū cum Sandalio caput, aut colo, sandalio deteriori. Ego verò, cum mea importuna Iunone, hoc modo, lites & iurgia compescere neque soleo, neque audeo. Itaque, alia quærenda via est. Audite interim doctissimum Varronem, sit illi, ad hanc quæstionem dirimendam inter vos, arbiter honorarius, vos obsecro. *Vitium uxoris, aut tollendum est, aut ferendum. Qui tollit vitium, vxo-*

rem

rem commodiorem præstat: qui fert, seipsum meliorem facit, Aul, Gell. noct. Atticar. lib. primo. Posterioris huius consilii partem ego sequor, & vt *Issachar, asinus fortis, Clitellas* fero, patior & perpetior omnia: postque aliquot ānos, in hac patientiæ Schola educatus, me profecisse & agnosco, & gaudeo. Nunc enim, non facilè quispiam me irritare, aut bilem mouere poterit. Nam, si Afrania nostra sit nimis clamosa, in interius cubiculum (quasi in Asylum) me recipio, & libros paucos (quos habeo) consulo aut ædes meas relinquo, & viriliter me in fugam conuerto, donec Nimbus præteriit, & aerem sereniorem & tranquilliorem perspexero. Gen. 49.

Applicita.

Applicita, seu Subiecti Circumstantiæ, sequuntur: quorum duo sunt genera, *Locus & Tempus. Circumstantia* Crucifixi Christi, respectu loci, fuit extra Ciuitatem Hierusalem, locus Golgotha. Circumstantia *Institutionis Cœnæ Dominicæ*, respectu temporis, fuit dies Iouis ante passionem proximus, tempus scilicet nocturnum, inter duas vesperas, quod nos Anglicè vocamus (*Twylight*) secundum legem Paschatis, a Deo institutam, Exod. 12.

Ab hac loci Circumstantia, sic arguere po-

teritis : nullum corpus esse potest in duobus locis simul, ergo humanum Christi corpus, non potest esse in cælo, & in pixide Papistico simul-

Hic, mihi in mentem venit, Papistarum erga vermes & musculos, egregia liberalitas, qui ne inedia hæ bestiolæ perirent, suos pixides sacros intrare permittunt, vt ex pane illo reseruato (quem corpus Christi appellant) pulcrè saginenrur. In christi corpus miserè arrosum dentibus, crudeles: in mures & vermiculos, liberales & plus quàm munifici homines. Sed, dicite mihi (amabo) vermibus, & muribus quare illud expositis, qua Scriptura, quo exemplo, aueo à vobis cognoscere. Quare in crastinum reseruatis ? *Dominus, panem quem discipulis dedit, dicebat eis, accipite, manducate, non distulit, neque seruare iussit in crastinum, vt habet vetus pater Origen. in cap.* Leuitici septimum De patribus gloriari soletis, quare igitur cum Patribus, melius non consentitis?

Ab hac loci circumstantia, habemus aliquid ex Romanensium Gratiano (aut si mauultis, *Crassiano* rapsodo) hiis addere, ex Augustino patre, non male (ut contigit) transcriptum. *Corpus inquit, in quo resurrexit Christus, in vno loco esse oportet, de Consecrat. Dist. 2. Cum Augustino*, & nobis Protestantibus, consētire videtur, Christi humanum corpus, in pluribus

locis

locis,i.in *Cælo & in terra*,ſimul inueniri non oportere.

A tempore,ſeu temporis Circumſtantia,hoc modo, ſi placet audire. Et factum eſt omne tempus,quod vixit *Adam,anni nongenti & triginta, & mortuus eſt*,Gen.5.Ergo Adam,poſt *D*iluuium nō vixerat,Nam ab Adamo ad *D*iluuium,ab ætatibus *P*atriarcharum,ex Gen.5 ſupputantur anni,1656.

Vera hæc temporis Cronologia,ad Romanenſium noſtrorum fraudes & impoſturas detegendas,in malè citandis Apocryphis patrum ſcriptis,valdè vtilis eſt,& percommoda. Allegant enim *Chryſoſtomi Lyturgiam*,pro Miſſa ſua Priuata,vbi nec(*Miſſa*)nec(*Priuata*)inueniri poteſt. *P*recatur enim ille ſuppoſititius, pro quodam *Nicholao Papa* qui poſt verum& genuinum *Chryſoſtomum*, *quingenta ferè annos* vixerat:eorum vanitas,ex hoc loco à temtempore,benè dilui & confutari poteſt.

Teſtatur porrò.Romanenſium liber Portiforius,*S.Laurentium*,per Chriſti ligneam crucem, quoſdam ægrotos, miraculoſè curaſſe. Sed,cum hac fabula, non concordat tempus. Hoc enim non potuiſſe fieri, ab hoc loco à Tēpore,probamus. Crux enim Chriſti lignea ab Helena Imperatrice inuenta dicitur, annos quadraginta, poſt huius Laurentii mortem, *Oportet mendacem eſſe memorem.*

Hos

Hos duos locos posteriores, Oratores in genere Iudiciali, diligenter obseruare solent. Itaque, quo melius & expeditius cognoscatis, quomodò ex his Argumenta desumpta, bonam consequutionem habeant, *M. Cicero, Aristoteles ad Theodecten, & Fab. Quintilianus* (quùm otium dabitur) consulendi vobis sunt.

Accidentia quatuor.
- Contingentia.
- Nomen Rei.
- Similia.
- Comparata
  - Maiora.
  - Minora.
  - Paria.

Omittimus hic, de Contingentibus aliquid dicere, quia hinc argumenta deducta, præsumunt & non probant, friuolæ certè nulliusque ponderis, si repugnantem aliquem, in vestram sententiā pertrahere volueritis. *Porro*, de ills & illorum similibus, inter locos *Personarum* satis antea explicatum à nobis fuit: Itaque nūc prætereunda sunt, neque vt *Crambe bis cocta*, coram vobis, delicatulis iuuenibus, rursus apponenda.

Quod verò ad *Nomen Rei*, seu *Nominis Etymologiam* attinet, dico ab hoc loco, nonnunquam satis bona & firma Argumenta produci posse, modò naturaliter, dextrè, & ingeniosè introducta: vt hoc *Plutarchi, Cœna dicitur à Græco* κοινὴ. Cœnare itaque solus, non est Cœnare

nare ſed edere. Vnde *doctiſſimus Plutarchus, lib. 7. Sympoſ.* Romanos ſæpiùs in ore habuiſſe dictum feſtiui hominis, *qui quum ſolus cænaſſet, diceret ſe hodiè non cænaſſe, ſed tantum ediſſe.*

Porrò, & hoc ſequens à Nomine *R*ei, benè ſequitur: Teſtamentum eſt, quaſi teſtatio mentis. Itaque, ſi Teſtator mentem ſuam non teſtetur, Teſtamentum eius non eſt dicendum. *Sic fides dicitur, quia fit quod dictum eſt*, vt eſt apud *M. Ciceronem*, aliter fides non eſt dicenda.

Interim notate (iuuenes) omnium vocum Etymologias non eſſe quærendas, & inueſtigandas vobis. Sunt enim multæ radices, primitiuæ & primogeniæ. Itaque, vetus pater Iſidorus Hiſpalenſis dicit, omnia nomina ſecundum naturam non eſſe impoſita, ſed multa ad placitum, ſicut ſeruis noſtris nomina dare ſolemus: & hinc eſſe, quod omnium Etymologiæ non reperiantur. Omnium doctiſſimus *Etymologus Iſidorus pater*, hoc dixit, itaque eius opinioni acquieſcendum, ego exiſtimo.

*S*imilitudo ſequitur, quæ rem obſcuram explanat & dilucidam facit: ſed probandi, ligandi, & conuincendi, perexiguam vim habet. *P*ræterea, omnis ſimilitudo, in his ſolummodo valet, in quibus comparatur, illique iniuriam

feceris

feceris, si quemàdmodum cum Herculis columnis fecit Hispanus *(Plus vltra)* eam extenderis, & ambitiosè dilataueris. Omnis enim Similitudo claudicat, Vulcano non dissimilis, quem altero pede claudicasse, veteres scribunt Atque notate (si nota dignum fuerit) pulcherrimam & formosissimam Venerem, naturæ æmulam, huic atro carbonario, & claudicanti nebuloni, fabro ferrario, olim enuptam fuisse. Ego, si Venus essem, profectò Vulcanum non mihi eligerem socium & Maritum meum: quod & vobis faciendum suaderem, si emeriti militis consilio acquiescere volueritis. Quid verò illam permouerit, tali marito conglutinari, non hic Topicè, inter locos Topicos disputatum volo. Neque ego vos vellem (iuuenes) in tam occultas & abditas rerum naturæ caussas penetrare, & curiosiùs introspicere. Alberto, hoc discutiendum relinquamus, vos de his rebus iudicare, aut non potestis, aut adhuc nõ debetis.

Similitudo hæc, circa quam nunc versamur, ad Populare dicendi genus, est omnium aliorum locorum Topicorum, accommodatissimum Organon, mihi credite. *Itaq; Mediolanensis Ambros. Officior. 3, dicit, has similitudines, per se vim veritatis non habere: tamen rationem certam, vt per eas, veritas illustrari possit, continere.* Et Rodolphus Agricola, primo de

Inuentio.

Inuentione, cap.26.hæc habet verba, lectione vestra non indigna: *Nullus(inquit)locus accommodatior est, ad eum qui sponte sequitur docendum, quam Similitudinis. Aperit enim rem si rectè adhibeatur,& quandam eius imaginem subijcit animo, vt cum assentiendi necessitatem non adferat, afferat tamẽ tacitum dissentiendi pudorem.*

Similitudo, seu Comparatio Allegorica & Symbolica, in arguendo vim non habet per se,nisi quatenus applicationem & probationem ab aliis Topicis habeat:sed præcipuè, nisi ex sacris literis(à sacræ Paginæ studiosis)comprobari possit.Itaque,non malè dicitur *à Thoma Aquinate, Theologiam Symbolicam, non esse argumentatiuam:hocque ex Patre Augustino mutuatus est,Epistola* 48. *contra Vincentium Donatistam.* Cum igitur Romanenses, argumenta sua Tropologica vrgebunt (quòd sæpius facere solent, ex illorum *B.Thoma* regerere poteritis, tales Argumentationes esse inualidas.Quod etiam,pater Irenæus confirmat:dicit enim,super *Parabolas & Allegorias ædificare,esse ædificare super Arenas.* Quocirca,stolidas & non duraturas Papistarum ædificationes,clarè hic cernitis. Hoc tamen sequens,infirmari non potest,quia ex Paulo desumptum est:scilicet, non esse *obligandum os boui trituranti,ergo verbi Dei Ministris, non*

est

est neganda vitæ sustentatio. Paulus enim hãc similitudinem & allegat,& approbat, 1. *Cor.* 10.

Sequuntur Comparata:comparatio duplex, vtrum probabilius,& vtrum melius. *Probabilius*,tribus modis discerni solet, *A maiori, à Minori,& à Pari. A Maiori*, negatiua Argumenta ducuntur,vt Cyclopes Deum non curant,multo minùs,ii,mortales homines curare volunt,aut illos æstimare.Horum securitatem plus quam belluinam,sic describit poeta Euripides.

Cyclops ap. Eur.

Non vlla Numina expauesco Cælitum,
Sed victimas vni Deorum maximo
Ventri offero,Deos ignoro cateros.

Et hoc sequens, contra operum iustificationem, si placet legere. Qui *per legem iustificari volunt , à gratia exciderunt,Galat.*5.4. Ergo multo magis,qui per opera sua iustificari volunt,à Gratia Dei sunt alieni , quod tamen Romanenses docent, Agamemnon, à Diis se exaudiri putat, *propter suas Hecatombas, & Romanenses propter merita.*

Comparatio à Minori:à quo Affirmatiua Argumenta ducuntur:vt,*de verbo ocioso reddenda ratio est,Mat.*12.ergo,de quocunque malè facto.Papistarum aqua benedicta , quamuis valida sit & operosa,tamen vænialia hæc peccata abstergere non potest. Tertia probabili-

tatis

tatis comparatio ducitur à Pari, à quo & Affirmatiua argumēta extrahuntur,& negatiua: vt,vxor bona est à Domino, ergo maritus bonus,ab eodem fonte.Et filiæ,non debent matrimonium contrahere,parentibus insciis, ergo nec filii hoc facere præsumant.

Comparatio,vtrum melius, sequitur: cuius plura sunt genera, sed hæc pauca sequentia, præ cæteris,à vobis præcipuè obseruanda existimo.

Diuturniora,breuioribus meliora: voluptas scilicet carnalis & belluina,breuis est,& breui euanida. virtus verò operosa,gloriosa, firma,stabilis & diuturna. *Altum quiddam est virtus,excelsum,Regale,inuictum,infatigabile: Voluptas,humile,seruile,imbecillum,caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popina sunt,vt habet doctissimus Seneca, lib. de vita Beata:* Virtus itaque melior tali voluptate, & multo præstantior est. Sic, charitas melior est fide:ea enim duratura est in meliori vita,post hanc fluidam,& intra paucos annos certò perituram.Fides verò,tunc finem habet,& periodum suam confecit. 1.

Quæ propter se expetuntur,iis quæ propter aliud. Vita itaque nostra (quamuis caduca) cibo est præstantior.Edimus enim vt viuamus non viuimus vt edamus. 2.

Quæ semper commoda sunt, iis sunt ante- 3.

 ponenda

ponenda: quæ hoc vel illo tempore commoda sunt. Sic philosophia, quia semper vtilis est, præferenda est Medicinę, quæ præcipuè vtilis est, tempore morborum, & aduersæ valetudinis.

4. Fines iis, quæ ad finem pertinent: itaque pax bello præstantior est. Bellum enim gerere solemus, vt in pace vitam degamus.

5. Possibilia, impossibilibus: sic, iusticia fidei, melior est iusticia legis, quia hæc (*nobis Adæ filijs*) seruatu est impossibilis. Non enim poteritis, illum hominem mihi ex S. literis denominare, qui mandata Dei omnia & singula, perfectè seruarit. Nulla caro hoc facere potuit, aut vnquam fecit, *præter Christum Iesum, qui pro peccatis nostris mortuus fuit, & resurrexit tertia die, pro iustificatione nostra, Rom.4.*

6. *Laboriosa, procliuibus: Quæ enim difficilia pulcra*: pulcra certè si bona. Nisi illum Romanorum Imperator. uelimus laudibus extollere, *qui arte sua nescio qua, res minutissimas, per acus foramen, quam citissimè transmittere solitus est.* Laboriosum opus, inutile, ocioq; & maiestate Regali, indignum.

7. Propria, communibus, vt Aristoteli *placet, Topic. 3. cap, 11.* Id est, propria mea, mihi & vsui meo, meliora sunt & commodiora, quàm communia aliorum, quorumcunque.

Bonum, quò latius diffunditur, eò melius: vt

vt Munificentia est melior communi & vulgari hominum liberalitate, quia ad plures homines sese dilatat & extendit. *vid. Arist. 3. Topic.*

Repugnantia.



Contraria.

Contraria, sunt duæ qualitates, sese mutuò expellentes: suntque duplicia, mediata seu interiecta, & immediata nullum medium admittentia. Contrariorum immediatorum, vno sublato, alterum necessariò ponitur, vt Lex & Euangelium, Caro & Spiritus. *Caro enim aduersus spiritũ concupiscit, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur,* Galat. 5. Aduersa (scilicet) veriùs, quam propriè dicta Contraria, si propriè loqui velimus. Huius generis sunt, *Deus & Mammon: vt, non potestis Deo seruire & Mammonæ,* Mat 6. Ho-

6.Honestum & turpe, bellum & pax : Deus optimus,& Baal pessimus.*Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, sin autem Baal, sequimini eum*. 1.*Reg* 18.Sic itaque argumentari poteritis : Dominus est Deus,ergo Baal non est Deus. Dominus est Deus, ergo Papa non est Deus. Aut si Papa *D*eus sit,terrenus & mundanus est Deus non Cælestis.Qui,si aliquibus antecessoribus suis similis sit(quos ego nominare possum) profecto aut Plutus est, aut Pluto est, id est, profectò Diabolus incarnatus est.

Contrariorum mediatorum, vno sublato, non remouetur alterum,vt calor & frigus,quæ inter se(teporem)medium admittunt. Album & nigrum,inter quæ,color fuscus,medius est: sanitasque & morbus.Inter quæ duo,ego(valetudinarios)dicerem.Quamuis medici (vt ego audiui)sanitatem & morbum,contraria sine medio,scribant.Omnes enim homines statuunt esse,aut valentes,aut morbidos. Contrariorum , contraria est argumentandi ratio, quandò duo conrraria prædicata,duobus contrariis subiectis opponuntur ; Vt,virtus est expetenda, ergo vitium est fugiendum. Et, contrariorum eadem est argumentandi ratio, quandò prædicatum, duobus contrariis subiectis est commune:vt,iusticia est habitus,ergo,& iniusticia,habitus est.

Con-

Contradictoria.

Contradictoria,ſeu Contradicentia,ſunt affirmatio & negatio eiuſdem rei , de eodem ſubiecto,vt ſedet, & non ſedet : ſapientia, & non ſapientia.Quorum vnum ſemper de omnibus rebus prædicatur,vt omnis homo ſedet, vel non ſedet:omnis homo ſapiens eſt,vel nõ ſapiens,*nam in Contradicentibus,non eſt medium.*

Contradicentia iſta,hanc ſortiuntur regulã: Poſito vno , tollitur alterum,acerrimè enim inter ſe dimicant,& quaſi digladiantur , nec vnquam ſimul vera & falſa eſſe poſſunt. Vt, *hic, ſaluti æternæ prouidetur, vt bonus Dei Martyr Cyprianus loquitur.*Hic, ſaluti æternæ non prouidetut,*ſed in(Pickpurſe)* Purgatorio, vt Dominus noſter Papa loquitur·Ambo hæc vera eſſe non poſſunt,quia contradictoria ſũt. Papa contradicit Cypriano,nec mirum : contradicit enim Imperatori,Domino ſuo : contradicit Chriſto redemptori noſtro , cuius tamen ſe Vicarium eſſe,ſuperbè mentitur, Rector Haleſwoorthiæ(apud Suffolcienſes) cum adhuc ſim,malè me haberem,ſi talem Vicarium haberem. Quemadmodum enim *grande illud Cete olim deuorauit Ionam,* ſic meus Vicarius deuoraret,& deglutiret me.

Relata.

Relatiuè Oppositorum, vtrunque est affirmatiuum: in quo, à Contradictoriis & Priuantibus differunt. Nam horum alterum semper est negatiuum: Relata nostra, in Prędicamento Relationis sunt, quemadmodum (*Esse*) vnius dependet ab (*Esse*) alterius. Hic autem, inter Opposita collocantur, vt vnum eorum opponitur alteri, vt *P*ater filio, & Dominus seruo: quod non est inconueniens. In arguendo, sequuntur affirmatiuè & negatiuè: affirmatiuè, vt rex est, ergo Regnum habet. Et, Dyonisius Syracusanus, rex non est, quia Regnum non habet. Hic Rex (quondam) propter crudelitatem, regno *S*iciliæ expulsus, puerorum institutor placuit pulcrè inaugurari, vt quod non auderet in subditos, illud in misellos pueros, nouo suo virgarum Sceptro, exercere possit. Vereor, ne illorum posteriora miserè excoriarit, nouus hic Orbilius plagosus, *rex* (*quondam*) *rex Dyonisius*.

Priuatiuè Opposita.

Priuantium Oppositorum, hæ tres regulæ obseruari possunt commodissimè. *P*rimò, in gradibus eminentioribus, vno tempore, in eodem subiecto, esse non possunt. Vndè notetur

tur. dari posse gradus intermedios, qui simul inesse possunt: vt, crepusculum medium est, inter densas tenebras, & altam lucem.

Secundò, si vnum Priuantium sit bonum & commodum, alterum est noxium & malum: vt, si visus sit bonum, cæcitas est malum. Verum hoc est, in terreno hoc corpore nostro nequam, peccatis obnoxio. Sed in animo (si Theologicè loqui velimus) hoc argumentandi genus sæpiùs fallit. Morbus enim, cæcitas, exilium, vulnera, cæteriquè casus aduersi, quoniam erudiunt & instruunt nos, meliora sunt, vtiliora, & magis salutaria, quàm ea quæ vocantur prospera: secundum illud *Salamonis, Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris, Prou.* 20. Et illud Dauidis patris sui, *Bonum est quod humiliasti me, vt inde discam mandata tua, Psal.* 119. *Calamitas, virtutis occasio est*, vt habet Seneca, vir doctissimus: *& Pathemata sunt Mathemata.*

Tertio, à totali Priuatione ad Habitum, non datur regressus, viz. ordinarius. Nam de regressu extraordinario & miraculoso, nemo Orthodoxus dubitare debet. Multi enim cæci miraculosè visum receperunt, & mortui, vitam.

Sunt tamen quædam Priuationes, à quibus ad Habitum, ordinarius & facilis regressus dari potest, vt a tenebris nocturnis ad lucem,

& à somno ad vigiliam & excubias. Itaq; , hæc tertia regula, quamuis bona & commoda, non est adeo vniuersalis & catholica, quin aliquā exceptionem patiatur.

Diuersa, differentia, seu Disparata.	Numero. Specie. Genere. Prædicamentis.

Omnia Indiuidua, seu eiusdem speciei, vt Iacob & Esau: seu alterius, vt Esau & Bucephalus: Irus Mendicus, & *Bucke* equus meus (quōdam) numero differunt. Sed hei mihi, *Bucke* equus, quem ego tantopere amaui, iam dereliquit me, & ego illum: dolens & mærens hæc repeto, Meum bonum & ingeniosum equum *Bucke* , omnium quos vnquam habui uel habiturus sum, ambulantem & pedes mouentem suauissimè) me semper melius , quàm olim Dominum suum Actæonem agnoscentem, ingrati & deuorantes canes) obesulum, colore glaucū, pulchellum sanè, & feroculum, quia pecunias non habui (proh dolor doloris) vendere & alienare coactus sum. Et alterum nemo dabit, emere verò alium non possum. *Argallus igitur senex*, iam eques sine equo, prout potest pedetentim, pedibus ægris, Vulcano claudicanti non dissimilis, laboriosè incedit, aliquantulum se mouens, promouens nihil: *Det* meliora Deus.

Specie

Specie differunt, eiusdem generis diuersæ species, vt homo & brutum.

Genere differunt, superioris generis diuersa genera, vt animatum & inanimatum, respectu corporis.

Horum trium *D*isparatorum (quasi infesti essent inimici) alterum de altero nunquam prædicari potest verè: & vnum eorum, à subiecto cui inest, semper expellit, & inciuiliter extrudit alterum, nisi *in Tropicis, & figuratis loquutionibus. Vt, Herodes est vulpes, Ioannes est Elyas, Panis est corpus christi.* Disparata hæc sũt, & tamen alterum de altero prædicatur, quia loquutio est Tropica & Figurata. Vtcunque enim Romanenses nostri, Capernaitis non dissimiles, hæc Christi verba, secundum literam (quæ occidit) intelligi volunt, Tertullianus & Augustinus patres, nobiscum, Figuram & Tropum agnoscunt. *Hoc est corpus meum, i. figura corporis & sanguinis Christi, Augustin. in psal. 3, & Tertullianus, contra Marcionem, lib quarto, circa finem.*

*S*ed accipitote (si placet) exemplum facilius, quia est domesticum, & apud nos domi natum. Inter vos, vnus est Melancholicus, eum figuratè, *Saturnum* appellatis. Est alius comptus & nitidus, eum *Paridem, aut Venerem* forsan nuncupatis. Est tertius, robustus & strenuus Athleta, eum *Martem* dicitis: hæc singula

*D*isparata

*D*iſparata ſunt,tamen vnum eorum(vt videtis) prædicatur de altero, quia loquutio eſt Tropica & Figurata.

Diuerſa *P*rædicamentis,ſunt diuerſa genera,quæ ex nouem poſterioribus Prædicamentis deſumpta ſunt:quæ cum antedictis Diſparatis,communem regulam ſortiuntur,vt alterum eorum hoſtiliter expellat alterum,neque vnum eorum vllo modo poſſit de altero dici & prædicari.

*S*ubſtantia verò,vt *R*ex & Monarcha Mundi,à nouem reliquis excipitur:quæ,cùm ſit ſubiectum & baſis cæterarum Categoriarum,reliquæ omnes prædicari de illa debent,neceſſariò.Vt,ille vel ille homo,eſt pater, eſt doctus, latus,craſſus,longus,breuis,in Licæo vel foro deambulans, togatus,palliatus, ocreatus:heſterna enim die, hoc pacto amictum vidimus.

☞ Sed,dic mihi ſodes(amabo)quum pater tuus,non ſit Accidens ſed Subſtantia,qualis Subſtantia ſit appellanda,aueo ex te cognoſcere Ego pro te(barbatule) per Prædicamenta illum delineabo:filius enim eius (cuius nomen geris)ſi reuera fueris,ſilere & tacere debes.Dico igitur, qualitates eius quicunque velit eſſe notas, Thraſo glorioſus eſt,& verboſus nebulo crine ruber,niger ore,vt in illo Zoilum maledicum poſſis agnoſcere, egregieque pinguis.

In

In illo namque, omnia egregia sunt.

gresie

Epicuri de grege, porcus.

Ieiunium contemnit, quia superstitiosum est. In Templo, flexis genibus non orat, quia superstitiosum est. Pauperibus non distribuit, quia superstitiosum est. Manete (iuuenes) per reliqua Prædicamenta, quasi per Purgatorium (velit nolit) eum transire faciemus. Quantus igitur est? Longus est, curuus, incuruus, & (*scuruie*) impetigosus. In Relatis etiam locum habet: Iniuriam illi non faciemus, habeat obsecro. Vxor enim illi est, qualiscunque, virago profecto, vix mulier, Androgyna, vt ego suspicor, garrula, rubicunda, obæsula, & (Deus nouit) parùm pudica, nisi passeres, aut hircos, pudicos esse dixeritis. Quod tota vicinia vbi habitat, omnesque proximi, de ea verissimè attestari possunt. Quid agit? Nebulonem. Quid patitur? *Legem Talionis & Retalionis* æquissimam: mæchos facit, & ipse grandis mæchus est. In cuius scilicet Horoscopo & Ascendente *Mars & Venus* conuenerunt in Capricorno. Patitur opprobria, quia ipse maledicus est, quandoque verbera. Habitus & amictus qualis? Talis qualis, scilicet malè & sordidè tunicatus, prætextatus, nunc cataphractus miles, nunc cinctus, nunc discinctus, stultus homo, mutabilis vt Luna. Vult tamen egregia per-

sona

ſona haberi,quamuis omnium ferè ſit poſtremus. *S*alue igitur vir egregie,& *D*omine magnifice.

Sed dic tandem *Socia!(Vbi)*hic Heros magnificus inueniri poteſt, ſi quis demens eius opella vti voluerit? *In Curia,in Foro, in Taberna,in Theatro,* in Lupanari,Lenones inter & *S*corta,clamans,exclamans,egregiè mentiens Hoc ſolummodo, illi ſuperſtitioſum non eſt: tandem *vino ſomnoque ſepultus,& humi iacens. Procumbit ſcilicet humi bos*, expectate igitur prandium magnum, ſplendidum Couiuium, ſi manere volueritis. Sed Quandò, Quandò (inquam) hunc hominem hoc modo armatum videris? Reſponſio facilis, hodiè,heri, & cras hoc videre poteritis,ſemper, & in ſæcula ſæculorum,Amen. Moueri, & dimoueri ab his egregiis Attributis non poteſt, immo non vult,Diſpoſitiones & inclinationes non ſunt, ſed inueterati Habitus. In hoc ſolummodo conſtans,quod ſemper inconſtans ſit. *P*rofectò,felices hii,qui ſub talium Clientela militant: ſed feliciores multò, qui illiſcum nihil negotii habent, vt ego auguror. Atque hoc modo(vt videtis)omnia Prædicamenta, de hoc bello homine prædicantur,quia Subſtantia eſt,quamuis omnium peſſima.

Huic,non multum diſſimiles quidam ſunt (quos ego noui)*Petifoggers in the Law*, (qui

k nunc

nunc vndique ſicut Locuſtæ, multiplicantur) venerandæ legis nomine indigni, in quibus *petie Lawe*, petie honeſtas, & petie mores boni, inueniri ſolent : Legulæi, non Legiſperiti, Patriæ parentes, imò Patriæ peſtes, maiori ex parte ſuperclioſi, garruli, contentioſi & peſſimi homines. Tales odit anima mea, à talibus itaque libera nos Domine.

Loci Aſſumpti.

Aſſumpti loci, ſeu inartificiales, ſeu Argumenta remota, & extrinſecùs aſſumpta, quæ ſine arte nuncupantur, & extra cauſam, ad fidem faciendam adhibentur, iam ſequuntur : quorum duo ſunt genera, *Diuina & Humana*. *D*iuina ſemper valent, & ſunt in vtramque partem firmiſſima, & Affirmatiuè & Negatiuè. Affirmatiuè, vt vanus eſt imaginum vſus in Templis noſtris, quia Scriptura ſacra ſæpius atteſtatur, illas docere mendacia, & ſeueriter admoneat, vt ab illis caueamus. *Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris*, 1. *Io*. 5. 21. Vtut enim, ex B. Gregorio illud placet, *Imagines eſſe Laicorum libros*, & in Eccleſia, (ſi eas non adoremus) permittendas eſſe: tamen, doctores & inſtructores periculoſos extitiſſe, & à vero *D*ei cultu ad illas colendas, homines ſimplices di-

uertisse, sanioris & melioris iudicii Romanenses, & confitentur liberiùs, & piè lamentantur. Negatiuè, vt Scriptura, nō meminit Inuocationis sanctorum mortuorum, ergo non sunt inuocandi. Et rursus, scriptura non approbat preces communes fieri lingua *peregrina & exotica*, 1. *Cor.* 14, ergo talis doctrina respuenda est.

Hocque notatu dignissimum iudico, aduersarios nostros recentiores, *Petrum à Soto, Canisium, Lindanum, & Peresium* (viros profecto doctos) concedere, hæc tria nunc nominata illorum commenta, ex Sacris scripturis non posse confirmari, nisi solummodo traditione & consuetudine Romanæ synagogæ: vt doctissimus vir, piæ memoriæ, *D. Whitakerus*, in disputatione sua de sacra Scriptura testatur. Concedunt multa, emendant paucissima.

Sequuntur testimonia Humana, quorum quinque præcipua genera numerari possunt. *Leges, Scripta hominum, Rumores, Insiurandum, & Tormenta seu Quæstiones*. Aruspicum verò, & Augurum responsa & testimonia, ex Auium volatu, aut Extis animalium superstitiosè desumpta, neque inter Humana nec Diuina, repono: sunt enim planè Diabolica. Ea itaque, Dialectica nostra meritò reiicit & damnat. Atque ego cum *M. Cicerone*, vetus illud

illud *Catonis* admodum ſcitum eſſe dico, *qui*

Teſtimonia. Humana.

- 1. Leges.
  - Ciuiles, & Imperatoriæ: Leges optimæ, prudenter compoſitę, eleganter ſcriptæ.
  - Patriæ, & Municipales.
  - Sacræ & Ecclesiaſticæ
    - Ius Canonícum ſeu Pontificium.
      - Decreta, per Gratianum collecta.
      - Decretalia
      - Clementina.
      - Extrauagantia.
    - Concilia
      - Prouincialia.
      - Nationalia.
      - œcumenica & Generalia.
- 2. Scriptura, & commentaria hominum doctorum.
  - Patrum veterum.
  - Modernorum.
- 3. Rumores, & fama volans, ſæpenumero mentiens, veritatem
  - Augens.
  - Diminuens.
- 4. Iuſiurandum.
  - Ius,
  - Iurandum.
- 5. Tormenta, ſupplicia, ſeu Quæſtiones, per quas, veritatem latentem & abſtruſam, magiſtratus extorquere ſolent: quemadmodum cum Bagatha, & Thara, eunuchis ſuis, fecit Rex magnus Artaxerxes, Heſter, cap.12.

uertiſſe. ſanioris & melioris iudicii Romanen-
ſes, &
Negat
onis ſa
inuoca
preces
otica,
eſt.

Ho
ſarios
niſium
docto
illoru
poſſe
& cor
tiſſim
diſpu
Conc

Se
quin
Lege
dum,
verò,
Auiu
tioſè deſumpta, neque inter Humana nec *Di*-
uina, repono : ſunt enim planè *D*iabolica. Ea
itaque, *D*ialectica noſtra meritò reiicit &
damnat. Atque ego cum *M. Cicerone*, vetus
illud

illud *Catonis* admodum ſcitum eſſe dico, *qui mirari ſe aiebat, quod non rideret Aruſpex Aruſpicem cum vidiſſet. De Diuinat, lib.*2. Eorum coniecturæ & prædictiones incertæ ſũt, & a ſanioribus Gentibus, aut exploſæ aut deriſæ.

Hippocrates (medicorum optimus) ſcribit, *temperantiam eſſe matrem ſanitatis.* ergo illi credendum. Omnes enim prudentes, illa admittere ſolent, quæ probantur iis, qui in ſua arte benè verſati ſunt: *veluti in re medica, quæ medico, in re Geometrica, quæ Geometræ, Ariſt. 1. Topic. cap. 6.*

Momus. Momus ſutor, in egregia illa Veneris formoſiſſimæ pictura, ab Apelle delineata, crepidæ formam reprehendit, Apelles emendauit. Sed, cum extra limites artis ſuæ vagaretur curioſiùs, ſtatim meritò audiuit, *Ne ſutor vltra Crepidam.*

Quando authoritates duæ pugnant, dignior ſententia, & probabilior approbanda, & ſumenda eſt. Aſtronomi veteres, dixerunt, *Solem mouere, Terram ſtare & quieſcere*: quod & nos Chriſtiani, veriſſimum eſſe & credimus, & Demonſtrationibus confirmare poterimus. Quidam tamen ex neotericis (*vt Copernicus*) vir doctus, in falſo argumento ingenioſè deſudās, *Terram moueri, Solem verò ſtare & immobilem eſſe, falſo contendit.*

Copernicus.

In his Teſtimoniis humanis, Maior eſt ſemper particularis: In Teſtimoniis *D*iuinis, maior eſt ſēper vniuerſalis. Nam quicquid *D*eus dicit, abſque vlla contradictione, vniuerſaliter verum à nobis recipiendum eſt.

Argumentum à Teſtimonio humano negatiuum

tiuum, non valet: vt, Aristoteles non scripsit *de Syllogismis Hypotheticis* (vt doctissimus, in re *Dialectica, Keckermannus* annotat) ergo de illis non fuerit nobis, in *D*ialectica hac nostra docendum, hoc non sequitur. Multa enim Aristoteles vel noluit scribere, vel propter negotiorum multitudinem & vitæ breuitatem, scribere non potuerit. Et forsan, omnia quæ scripsit, non extant, sed temporis iniuria, exciderunt.

Quandoque, plurium hominum autoritates pugnant, tunc acquiescendum potius plurimis quàm paucioribus. Quamuis hæc regula, exceptionem nonnunquam admittat. *Michæas enim solus*, veritatem tenuit, contra 400. *Pseudoprophetas Baalıticos*, 1. *Reg*. 22. Et bonus *pater Paphnutius, in Concilio Nyceno*, vnus contra multos, & pulcrè ambo præualuerunt. *Magna est veritas & præualet, Hoc vnum gestit veritas, ne ignorata damnetur, vt habet in Apologetico, vetus pater Tertullianus*. Et, in illa memorabili disceptatione, inter duos parres antiquos, *Hieronymum & Augustinum, de simulatione Petri*, quum posset *Augustinus* pro seipso, plures patres adducere, vnicum tamen ex sacris literis, Apostolum Paulum, omnibus aliorum patrum testimoniis opposuit. Hieronymus, plures homines produxit, *Augustinus* hoc vno coutentus fuit.

Aristoteli placet, Topicor. 8. vt ante disputationem, interrogationibus quibusdam, respondentem Antagonistam temptemus & prouocemus, & ex illis quæstiunculis velit nolit, ad incommodum & absurdum, eum trahere, si poterimus. Interrogare quædam ab illo, priusquam argumentati sumus (vt scilicet de quæstionis controuersæ statu inter nos conueniat) facilè permiserimus, & prudenter hoc factum esse, existimamus. Sed pace *Aristotelis* dixerim, quia vos iuuenes Christiani estis, in hunc finem interrogare non debetis, vt quenquam decipiatis, & à veritatis via eum abducatis, sed potius vt disputando & quærendo, *alma veritas clarius elucescat*. Cuius rei gratia, omnes disputationes á nobis & vobis, præcipuè suscipiendæ sunt.

Aliquos tamen reperietis, crebris interrogationibus multum delectatos, non vt discant sed vt capiant & illaqueant vos. Si igitur cum talibus vobis negotium fuerit, vos similiter interrogationibus vestris, tentate & prouocate illos. Hoc solutionis genus, ad personam hominum curiosè interrogantium, non est culpandum.

Quod Christus, cum *Scribis & Pharisæis* sæpius fecit, eorum os hoc modo pulcrè obstruens. Et iubete hos curiosos questionistas argumentari *(ad Idem)* id est, aut contra quæstionem

onem controuerſam diſputare, aut tacere. Et cauete, ne in falſo argumẽto (aliorum in ſcholis noſtris diſputantium more) nimis pertinaces & contentioſi diſputatores ſitis. Conſuetudo mala, habitum malum procreat, qui radicitus inhærens, difficulter extirpari poteſt.

Et ſic terminantur Loci, & eorum conſequutiones: iam verò quid, & quotuplex Argumentum ſit, explicandum nobis eſt.

Argumentum.

Argumentum, eſt probabile inuentum, ad faciendam ſidem. Omnia argumenta trahuntur ex locis iam explicatis: qui ſunt, vt *Cicero* ait, *quaſi ſedes & domicilia Argumentorum, in quibus illa latent: Cicero, in Particionib. Oratorijs, & Topicis ad Trebatium.* Argumentatio, eſt Argumenti ex locis Topicis explicatio, & diſputationis continuatio, proceſſus, cauſæque noſtræ confirmatio.

Argumentorum 5. genera.
- Syllogiſmus
  - Categoricus
    - Communis
    - Expoſitorius
  - *Hypotheticus*
- Euthymema, ſeu curtatus, & imperfectus Syllogiſmus
- Inductio.
  - Socratica.
  - Dialectica.
- Exemplum.
- Sorites, Climax, vel Gradatio.

Syllogismus, *est oratio, in qua, ex duobus præmissis propositionibus benè dispositis, tertium, i, conclusio necessariò infertur.*

Tres sunt in omni syllogismo propositiones, *Maior, Minor, & Conclusio.* Maior vocari à multis solet, propositio prima. Minor, à Rodolpho vocatur *Assumptio vel Assumptum*, ab aliis *Illatio.* Conclusio, à Cicerone nuncupatur Complexio.

Porró, in omni Syllogismo, tres sunt termini *Maior* terminus, *Minor, & Medius*. *Maior* terminus, est illud in Maiore propositione quod non est medius. Minor terminus, est illud in Minore propositione, quod non est Medius. Medius terminus, est conclusionis ratio, nunquam ingrediens eam: qui in omnibus figuris sequentibus, mutat locum suum, & quasi *Rex in Regno*, plures habet Aulas Palatinas, & regios secessus: secundum hanc vsitatam regulā, vtilem sanè, quamuis obsoletam, & vix benè Latinam.

Sub. præ prima: Bis præ. secunda: Tertia, bis Sub

Sunt itaque figuræ tres, & in illis, Modi quatuordecem perfecti, quemadmodum mox audietis. Reliquos vero Modos imperfectos, vt non necessarios, quamuis non negligimus, tamen minus curamus.

Collo-

Collocatio Medij, in 1, Figura.

Sub.præ.prima : id eſt, medius terminus, eſt Subiectum in Maiore, & Prædicatum in Minore. In qua Figura, quatuor ſunt modi perfecti, vnde ſequens verſus.

Barbara, Celarent, primæ: Darij, Ferioque.

Quorum exempla, iam ſubſequuntur: Vbi, obliuiſci non debetis, quid antea in *P*ropoſitionum conuerſionibus, circa has quatuor vocales annotauimus, *A.E.I.O.* Non enim ſunt Dæmonum Characteres, aut Magicæ incantationes. Antea ſeriò dixi, Argallum Exorciſtam & Necromanticum non fuiſſe, Sit Eraſmi, *Regularis Faunus*, Exorciſta, ſi voluerit, cum Dæmonibus & Cacodæmonibus conſortium habeat. Circulis & Characteribus, ad nauſeam vſque vtatur & abutatur ſuis ; adhuc ludat & illudat, ſibi ipſi & aliis, ſi placet, Ingens porrò vas Aquæ conſecratæ ad manum , ad aſpergendum, cum opus fuerit, habeat: ſinamus hominem inſanire ſuauiter, quoniam perſuaderi non vult. Argallus noſter, *R*egularis Faunus non eſt: *irregularis* homo (me caſtor) hoc ſi faceret, & fatuum *Faunum* imitaretur, Vtilia hìc proponimus, ſi paululùm anſcultare volueritis. *A*, ſignificat generalem affirmantem, E, generalem negantem, *I*. particularem affirman-

Eraſmi Spectrum.

tem, *O.* particularem negantem, vt in his subsequentibus exemplis, manifestum vobis faciemus.

	Bar	Omne bonum est expetendum,
Bonum.	ba-	Omnis virtus est bona, ergo
	ra.	Omnis virtus est expetenda.

	Ce	Nulla violentia est perpetua.
Violentia.	la-	Omnis tyrannis est violenta, ergo,
	rét	Nulla tyrannis est perpetua.

Tyranni, propter violentiam & crudelitatem suam, profectô formidabiles sunt omnibus, *vt Phalaris, Scylla, Dyonisius, Nero, Diocletianus*, similesque, non homines sed bestiæ, & monstra hominũ. *Malus diuturnitatis custos est metus, vt M. Cicero*, ex veteri Ennio probat. *Quem enim metuunt oderunt: quem quisque odit, periysse cupit.* Itaque, in benè & prudenter gubernando, alia via, alia methodus sequenda est.

	Da-	Quicunq;, sepultos Christianos, in sterculinum proiiciũt, sunt crudeles homines.
In sterculinũ proiiciunt.	*ri-*	Romanenses, sepultos Christianos, in Sterculinum proiiciunt, ergo,
	j.	Romanenses sũt crudeles homines.

Inter multa huius generis Exempla, vnum Marianis Temporibus impiè perpetratum, hic occurrit, quod inficiari non possunt, ego enim vidi. *Petri Martyris Florentini vxorem*, in omni bonarum literarum genere, viri instructissimi

mi

mi, apud nos, in *Ecclesia Collegii Christi Oxoniensis* sepultam, mulierem aduenam, fæminam piissimam, nostri Romanenses (cadaueris humati carnibus non dum consumptis) ex sepulcro foderunt, & in stercorarium proximũ inhumaniter proiecerunt. Hoc, Oxonii (me puero) contigit: quod ego & benè memini, & cum aliis vidi, & cuius spectaculi, oculatus (quamuis monoculatus) testis tunc fui. Quorũ immane scelus, nostræ Academiæ flos, *D. Rogerus Marbeccus* (qui adhuc viuit) his paucis optimis & suauissimis versibus, sic bellè depinxit.

Fæmineum sexum, Romani semper amarunt,
Proiiciunt corpus, cur muliebre forás?
Hoc tu si quaras, facilis responsio danda est,
Corpora non curant mortua, viua petunt.

Profectò, Papistarum impura crudelitas, ab *ipso Apelle*, non potuit depingi viuaciùs. Hic senex venerandus, homo septuagenatius, Medicinæ doctor æruditissimus, & Regius, regi *nostro Iacobo* & notus est, & charus: ex cuius munificentia *R*egali, splendidè viuit, vir suauissimis moribus imbutus, & *R*egio fauore dignus, amicus meus bonus, & pietatis affectu, pater singularis.

	Fe	Non est bonum. hominẽ esse solũ, Ge. 5
Homo.	ri-	Sacerdotes sunt homines, ergo
	o,	Non est bonum sacerdotes esse solos.

 Dixit

Dixit olim prudens Deus (hominis infirmitati gratiosè consulens) *non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium, simile sibi, Gen.* 2. 18. Romanensium sacerdotes, non sunt soli, mulieres enim & fouent & fauent. Quare igitur, ex hoc Geneseos loco, contra illos argumentari solemus? Et ego illos similiter interrogo, quare vxores licitas contemnũt & meretrices nutriunt? Quas, scilicet, vt Patriarchis veteribus similes videantur, molliore nomine (*Concubinas suas*) in malam rem, nuncupari volunt. O boni viri, si non castè tamen cautè, quemadmodum in veteri vestra Glossa, fratres vestros olim amicè admonuistis. Sed profectò, neque castè neque cautè hoc facitis. Omnis enim mundus iam nouit turpitudinem vestram. Audiant itaque Mantuanum suum, non nostrum inquam, sed audiant suum.

Petriq́; domus polluta fluente
Marcessit luxu, (nulla hic arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre:
Sic vrbes populiq́; ferunt, ea fama per omnem
Iam vetus Europam) mores extirpat honestos.
Sãctus ager Scurris, venerabilis Ara cynædis
Seruit: honorandæ Diuum, Ganimedibus ædes.

Fr. Mantuanus.

Frater Mantuanus, qui à vestris partibus stat hoc celare non potuit, *Calamit. lib. 3. Martialem, poetam Lascinum*, nuper castrastis, & ob hoc laudandi estis. Sed, Medius fidius, vos ipsi

castra-

caſtratione digniores, tales ſi fueritis, quales frater Mantuanus vos eſſe prædicat. Verè de veſtra Eccleſia olim pronunciauit *Clareuallenſis Abbas Bernardus, quòd à Planta pedis ad verticem capitis, non eſt in vobis vlla ſanitas ex Eſai.* 1. *ver.* 6.

In hac prima Figura, hoc porrò a vobis obſeruari debet: proceſſus fit in illa, ab Vniuerſalibus ad particularia, ſeu à Genere ad Speciem, cuius maior eſt vniuerſalis, & minor ſemper affirmatiua.

Collocatio Medij, in 2. *Figura.*

Bis. præ. ſecunda: id eſt, Medius terminus in hac Figura, eſt bis prædicatum, in maiore ſcilicet prædicatum, & prædicatum in minore. In qua, vt in prima, quatuor ſunt modi, vt ex verſu ſequenti apparet.

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, ſecundæ.

Ce	Nulli diuites egent,
Egent. ſa=	Omnis auarus eget, ergo,
re.	Nulli auari, diuites ſunt.

Ca	Bonũ omne, poſſeſſorem meliorem facit,
Poſſeſſorẽ meliorem. me	Nullæ corporis voluptates, poſſeſſorem meliorem faciunt, ergo,
ſtres	Nullæ corporis voluptates, bonę ſũt

Cauendæ ſunt omnes craſſæ & belluinæ voluptates, dulce venenum. Serpentibus illis ſimillimæ, quorum caudæ ſunt aculeatæ, vene-

nosæ & mortiferæ. Voluptates tamen quædã sunt licitæ, hominequę verè Christiano, non indignæ: diffiteri hoc non audeo. Sed fornicatio & adulterium, tales non sunt. *Nolite errare fratres, neque fornicarii neque adulteri, neq; molles, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Si quis verò putet, posse quempiam quoto tempore voluerit, verè pænitere & recipiscere, seipsum periculose decipit. Pænitentia enim, *Dei donum est, non nostrum. Itaq;*, dum tempus habetis, in tempore cauete obsecro.

Fronte capillata, post est occasio calua.

Caro & ossa.	Festino.	Spiritus, non habet carnem & ossa, Christus habet carnem & ossa, ergo, Christus non est Spiritus.
Honorat parẽtes.	Baroco.	Omnes pii honorant parentes suos, Cham, nõ honorat parẽtes suos, ergo Cham, non est pius.

Cham, pater Chanaan; Cham filius Belial, non filius Patriarchæ Noe, bonis parentibus indignus, *patrem suum deridebat, & maledictus fuit*, Gen. 9. Absalon, vir pessimus, & in Dauid patrem suum amantissimũ immorigerus, in *Quercu per flauos* & rutilantes crines suspensus, *miserè confossus fuit*, 2. Sam. 18. Cauete vobis vos superbæ filiæ Sion, quæ in crinibus vestrs contortis & mentitis, nimiùm confiditis. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem vestrum nudabit. Et*

erit

erit pro ſuaui odore, fetor:& pro Zona, funiculus:& pro criſpante crine, caluicium, & pro faſcia pectorali, caluicium. Os Iehouæ hoc loquutum eſt, Eſai, 3. Itaque cauete. Abſalonis crines nolite optare, ſed *Magdalenæ, cuius peccata condonauit miſericors Chriſtus*, Luc. 7.

Proditor Adonias, regia proles, ex Salamonis regis & fratris iuſto mandato, *à Banaia, filio Ioadæ, interfectus fuit*. Itaque, cauete (iuuenes) ne in parentes veſtros immorigeri, in principem regem (vnctum Domini) coniuratores ſitis. AEtas hæc veſtra, lubrica & plerunque *indomita Iuuenca, Ierem.* 31. 18. hanc admonitionẽ extorquet. Senex ſum, multa huius generis tremenda exempla vidi: paternè moneo, vt pater filios ſuos, moniti vt muniti ſitis.

Vtilis eſt hæc ſecunda *Figura*, ad refutandum, atque per ſententias repugnantes concludendum: & pendet ab hoc loco Topico antea recitato, *Remoto genere vniuerſo, tolluntur omnes eius ſpecies. In qua*, maior propoſitio eſt ſemper vniuerſalis, & ſyllogiſmi omnes negatiui, affirmatiui nulli, ne vnus quidẽ. Negatiuos eos appello & denomino, à Concluſione, quæ ſemper negatiua eſt.

Collocatio Medii, in 3. Figura.

Tertia, bis Sub. id eſt, tertia *Figura* eſt, quando

dò Medius terminus, est subiectum & in maiore & in minore propositione, habens sub se, hos sex modos, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison: vnde, hi duo versus sequentes.

Tertium, grande sonãs, recitat darapti, Felaptõ,
His adiungẽs Di*samis, Datisi (Bocardo) Ferisõ*

	Da-	Omnis virtus Moralis, labore paratur,
Virtus.	rap	Omnis virtus Moralis pulcra est, ergo
	ti,	Quædam pulcra, labore parantur.
Fe-		Nullum periculum virile, viro forti est fugiendum,
lap-		Omne peticulum virile, est molestum, ergo,
ton.		Quędam molesta, non suut fugienda.

Quis bonus dubitet, inquit M.Cicero, Reip. causa, vel mortem oppetere, si ei sit profuturus? Boni & fideles subditi, patriam suam, mortis cũ periculo, egregiè & viriliter tuentur, & defendunt. Qua itaque Scriptura, quo testimonio, quo Augurio aut Diuinatione, à subiectione sua deterrentur Papicolæ nostri, ab illis aueo cognoscere. Papæ forsan, Gehennam vel Purgatorium minitanti, nisi hoc faciant. Hector apud Homerum (nescio quo Augurii metu, pugnam detrectanti) Polidamantem grauiter obiurgens, respondit, *Vnum esse Augurium optimum à Deo mandatum, fortiter defendere Patriam. Omnis anima, potestatibus sublimioribus subdita sit, Rom.* 13, *Etiamsi Apostolus, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, siue quis-*

quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subuertit ista subiectio, Chrys. in hunc locum, Homil, 23. Romanenses contra (Catholici sanè homines) contra patriam charissimam, arma sumunt: & huiusmodi bellum, in Protestantes denunciatum, bellum sacrum, honorabile & Meritorium nuncupant. Itaque, non solum inter malos homines, sed Patriæ proditores pessimos, enumerandi sunt.

	Di	Omnis vera Inuocatio, saluat:
Vera inuocatio.	sa-	Quedã vera inuocatio prouenit ex fide, ergo,
	mis	Quoddam prouenien s ex fide, saluat

	Da	Omnis artiũ notitia, vtilis est Theologo
*A*rtium notitia.	ri-	Artium notitia, in Philosophia trâctatur, ergo,
	si.	Philosophia est vt vtilis Theologo

	Bo	Honestum gaudium, non est prohibitum Christianis;
Honestũ gaudium	car	Omne honestum gaudium recreat animum, ergo,
	do.	Quoddam recreans animum, nõ est prohibitum Christianis.

Honestum est gaudium (inuenes) in arcu & sagittis vos excersere, non in *Alea, Vino, Venere,*

Nox & amor vinumq;, nihil moderabile suadẽt
Illa, pudore vocat, liber, amorque, metu.

Hanc Aleam, Dæmonẽ inuenisse, affirmat Augustin. de ciuit. lib. quarto. In quo exercitio, *quanto peritior, tanto nequior.* In Arcu & sagit-

tis sese exercuit, bonus & fidelis Dauidis amicus, Ionathan, 1. Sam. 20. In floridis agris, & campis redolentibus, ambulando nos recreemus, vbi piè & honestè confabulantes, *forsan cum* Cleopha *discipulo, Luc.* 24, in via, Christum saluatorem inueniemus, qui nobis *est via, veritas, & vita*, Sint itaque nostra Colloquia casta, sunt ioci honesti, liberales, & sint moderati: In melle potest esse satietas, Prou. 25

Iuuenal. *Voluptates commendat rarior vsus.*

Et in ocio, caueamus ociositatem, matrem nugarum, nouercam virtutum, vt Bernardus benè monuit. Est tamen ocium aliud, 1. ocium literarium, summe laudabile, & vobis iuuenibus (verè studiosis) summopere expetendum, de quo Plinius iunior, vir doctissimus, sic scribit. *In Laurentino meo, aut lego aliquid aut scribo, aut etiam corpori vaco, cuius fulturis, animus sustinetur. Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pæniteat. Neminem reprehendo nisi vnum me, quùm parùm commode scribo. Mecum tantùm, & cum libellis loquor. O dulce ocium, honestumque, ac omni pene negotio pulcrius, Plin. lib. primo Epistola* 9. Sin verò (prout dabitur occasio) cantare placeat, *in Dei gloriam illud faciamus, vt sanctus Iacob sanctè monet, cap* 5. In omnibus iocis, sanctæ matris nostræ Hierusalem, quæ sursum est, ne obliuiscamur, sed eam omnibus aliis delectamentis, meritò

pre-

præferamus, Psal.137,6. Turpes & obscænas cantilenas, tanquam animi pestes fugiamus: *militant enim aduersus animam*, 1, *Petr*. 2.

Fe	Nullum malum erit impunitum,
Malum ri	Quędam mala sunt exigua, ergo,
sõ.	Exigua mala, non erunt impunita.

De verbis ociosis, reddenda ratio est, in die Iudicii, Mat, 12. Quæ tamen mundus iste malus & fallax, peccata non esse, falsò & periculose existimat: aut saltem talia, quæ nostri Romanenses aqua sua benedicta elui, & facilè purgari posse, falsò arbitrantur.

Habet hæc Aqua benedicta, virtutes mirabiles, si ocium sit audire. Mures abigit & Sorices vt in vestris cubiculis manere non audeant. Felibus itaque, & vigilantibus Cattis, non est opus. Dæmones, Cacodæmones, & omnes infernales spiritus malignos fugat, & *tanquam alter Raphael*, *Tob*, 8. *eos apprehendit*, *& in desertum superioris Ægypti*, *eos relegat*, Et quod magis miraculosum est, mulieres steriles, ex lege veteri dei, maledictas, fructuosas efficere, & pulcrè parere cogit: neque opus nunc esse, vt apud sæculum prius, *Iunonis Lucinæ opem & adminiculum implorare*. Putatote, si aliquis robustus et strenuus frater, otiose mendicans eã copiosius aspergat.

In hac tertia figura, minor propositio, dèbet semper esse affirmatiua, Quæ vnica regula, attente

attentè obseruata, multos Paralogysmos soluit: porrò, et conclusio est semper particularis.

Versus hi quatuor sequentes vobis memoriter mandandi sunt: nam ad componendos in omnibus modis et figuris, syllogismos bonos & legittimos (vt modò audiuistis) valdè vtiles sunt.

Barbara, Celarent, Primæ, Darii, Ferioque,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, secundæ.
Tertium grande sonās, recitat Darapti, Felaptō,
His adiungēs Disamis, Datisi (Bocardo, Ferisō.

☞ A Barbara, vt hic videtis, quatuor hi barbari versus incipiunt, & in illis omnia videntur barbara, peregrina, & exotica. Et, si animaduertatis, in (Bocardo) desinunt, quod periculosum est, nisi prouidè caueatis. *Bocardo enim*, apud nos Oxonienses, Ergastulum est, in frigida *Ciuitatis Boreali parte*, squalidè situm, sontibus leuioribus puniendis destinatum, & quasi alterum Purgatorium. Videte igitur (iuuenes) & circumspicite, ne vos propter æs alienum, huius Purgatorii pænas experiamini. Amen, Prædico vobis, quicunque in hoc nostro Bocardo, syllogismum confecerit, indè exire non solet, donec nouissimum quadrantem restituerit. Relinquamus igitur hunc periculosum syllomum, & de aliis dicere progrediamur: namhic diutins commorari non est commodum.

Con-

Conclusionis vna regula optima, superest: quæ nunc hoc in loco (ne excidat) vobis commodè recitanda est: In omnibus syllogismis Categoricis minor terminus debet esse *Conclusionis subiectum*: Maior terminus, conclusionis prædicatum. Medius verò, in Argumentatione bona, conclusionem nunquam ingreditur, neque ingredi debet, quia non est eius domus & possessio, sed alterius. Neque vult Dialectica nostra, alicui iniuriam facere, sed vnicuique quod suum est, dare & porrigere.

*D*e Syllogismo Hypothetico, in propositionibus hypotheticis Disiunctiuis, antea diximus: ad quem locum (studiosi iuuenes) vos remittimus. *S*equitur iam, syllogismus Expositorius.

Syllogismus Expositorius.

Syllogismus Expositorius est, cum *Medius* terminus, est vox singularis, & referri potest, ad Figuram tertiam, in qua *Medius* terminus est subiectum in Maiore, & subiectum in *Minore* quemadmodum hic infra videtis, valens affirmatiuè, & negatiuè: vt,

Cicero.	Cicero est Philosophus, Cicero est orator, ergo, Quidam Philosophus est orator.
Argallus noster.	Argallus noster, est pauper senex, *A*rgallus noster, est Minister verbi dei, ergo, Quidam minister Verbi Dei, est pauper senex.

Sit Argallus, Archigallusque noster, homo pauper, sit pauperior, sit pauperrimus: omnes paupertatis gradus & comparationes Grammaticales subeat, quid tum postea? *Qui volunt diuites fieri,* 1. *Tim.* 6. *incidunt in temptationem, et in laqueum Diaboli, & desideria multa & inutilia & nocua, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Ego, sic à Satana (snottie nose) temtari, prouocari, illaqueari, & dimergi, non desidero. Illud enim, quod mihi olim, cum rector de *Cadleigh* (in agro Deuoniensi fuerim) malè contigit, obliuisci non possum: de quo antea admonui: *Hæc Pindari,* Poetæ antiqui, mihi potius placent.

Amabo leuem Cupressum,
Omissis Cretæ pascuis.
Terra mihi datum est parum,
Careo interim doloribus.

Hos suauissimos & dulcissimos versiculos, sæpiùs apud me cantare, & in agris raucus senex, modulari soleo. *D*omum enim habeo, satis commodam, sed non hæreditariam. *Et pro Pyndari* Cupresso, Pomarium paruum & nitidum. Porrò, aquam profluentem, salubrem & lympidam, glebas paruas, sed proximas. Et, (Vt nos *Pharisæorum discipulos* agnoscere possitis) decimas minores, *Mentam scilicet, Anethum, & Cynimum (non Cynamonum)* aut eius generis pretiosa Aromata, ne decipiamini:

talia

talia neque dant, neque Decimant? *Consue-tudinis malum, Decimas nostras maiores & meliores, absorpsit & abliguriuit.* Habemus enim legem. & secundum legem debet mori. Id est, habemus pessimã consuetudinem cõtra Ecclesiam *Dei*, & Ministerium verbi. *Pro-fecto, Tyrannus iste. frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus, vt belle notat D. Erasmus.* Bene diues est, qui in ære alieno non est, qui necessaria possidet, & superflua non desiderat. Pro his Deum seriò precamur: adhùc enim (homo plus quàm sexagenarius) hãc metam non attigimus. *Si* esset in illis fides, in quibus summa esse deberet, inopia non laboraremus. *Consuetud.*

Hoc tamen vnum, mirificè me consolari solet, quòd tres habeam discipulos adhuc superstites, qui me olim præceptorem suum, ingenuè *agnoscunt & confitentur: viz. Thomam Wakelin* Armigerum, Graiènsis Hospicii (ex Senioribus) alumnum non postremum, virum liberalem, & mei amantem, *D. Thomam Smithe*, equitem auratum, ingenio, doctrina, linguis, eloquentia, multisquè aliis naturæ & artis dotibus, præclarè ornatum, & Venerandum in Christo patrem. *D. Franciscum Godwyn, Landaffensem Episcopum*, virum mitissimum, & sanctissibus moribus imbutum. Hi tres *Argallum* cùm viderint, gaudent, salu- *Gratitudo.*

tant, congratulantur, ad cor meum loquuntur. Et quia senex sum, & consolationis indigeo, auro potabili cor meum pulcrè exhilerare solent. *Stephanus*, *Fortunatus*, & *Aichaicus*, *Pauli* labantem spiritum, multùm refecerunt: similiter hi tres, meum. Optauit Dux *Agamemnon*, decem prudentes Nestores, et ego Argallus, decem tales consolatores bonos; Auri potabilis nimis cupidus essem, plures si desiderarem.

1. Cor. 16.

Negatiuus Expositorius.

Crassus. | *Crassus, non fuit acuti ingenii,*
Crassus, fuit Diues, ergo,
Aliquis diues, non est acuti ingenii.

Tardi & habetis ingenii *Crassus*, nomine & re Crassus fuit: *Nomen & Omen*. Vtinam omnes auari diuites, tales essent. Nimis enim prompti sunt & ingeniosi, ad decipiendum bonos & simplices, homines. Quod ego sæpiùs, magno meo malo, expertus sum. *Filii huius sæculi, in generatione sua, prudentiores sunt filiis lucis, Luk.* 16. Sed mallem ego ab aliis me decipi, quam alios fraudulenter, decipere, & in hoc, apud amicos meos & familiares, quasi prædam nactus, sepiùs gloriari soleo.

Hic Syllogismus dicitur *Expositorius*, quia exponit propositiones veras vel falsas esse, per singulares.

Nullus

Nullus syllogismus, ex solis Negatiuis, aut ex solis Particularibus confici debet: Itaquè, apud nos pueros Ononienses (*in Paruis nostris*) hoc sæpiùs in ore fuit, *Paruis.*

Syllogisari, non est ex Particulari,
Neque Negatiuis, recte cōcludere, sivis.

Solet imperitum vulgus, ex aliquo particulari, vniuersum màle colligere. Videt *Germanos* quosdam, ebrietati deditos, & aliquos *Italos*, libidinosos: hinc, omnes & singulos tales esse, imperitè concludit. Docti & considerati homines, hoc modo non arguunt. Perinde enim est, ac si hoc modo conclusero. vos (qui hæc legitis) ociosos & & inertes esse scholasticos, quia inter vos, vestrum aliqui, tales reperiri possunt. Vos verò, *fucos ignauos* non esse (nisi mentior) audacter ausim affirmare. Cauendum vobis (iuuenes) ne simili modo, contra vosmetipsos, perperàm argumentemini.

Præterea, quamuis nonnulli syllogismi, in omni *Figura* nostra antea recitata, negatiuè concludant, tamen ex omnibus negatiuis, nemo illud commòde facere potest: Talibus est itaque illud verè respondendum, quod nos ipsi (*barbatuli*) in Scholis nostis inculcare ad nauseam vsque solebamu,s

Neque Negatiuis, recte concludere sivis.

Syllogismus Categoricus communis, ratione materiæ, triplex est: *Demonstratiuus*,

 progrediens

progrediens plerumque ex artium principiis & Axiomatibus quæ nullus ſanæ mentis negare poteſt, aut debet : *Dialecticus*, ex probabilibus concludens : *Sophiſticus*, qui ex captioſis, fallacibus, & ambiguis conſtare ſolet. *Ad Demonſtrandum*, & firmiter conſtringendum, Argumenta quæ ducuntur à vera *D*efinitione, *A genere*, *Specie*, D*ifferentia*, à Proprio, Toto, Partibus, Cauſis veris & Effectis, præcipuè valent.

Enthymema.

Enthimema, eſt curtatus *& imperfectus ſyllogiſmus*, D*auidis regis nuncijs ab ingratis Ammonitis*, 2. *Sam.* 10. *ignominioſe truncatis* & abſciſsis, non diſſimile, in quo altera propoſitio ſemper deſideratur : quam ſi ſuppleas, perfectam effeceris, in aliqua figura, ſyllogiſmum. *Eius*, *duæ ſunt partes*, *Antecedens & cōſequens*. Et notate quæſo, *ſi in Antecedente* & Conſequente, idem ſit Subiectum, tunc deeſt maior propoſitio : *ſin* P*rædicatum* ſit in vtraque idem, tunc deſideratur minor.

E*nthymema*, *facile reducitur* ad Syllogiſmū, ſi propoſitionem deſideratam, addere volueritis. Cuius altera propoſitio reticeri ſolet, aut breuitatis cauſa, aut *Argumenti* vitio. Nam ſi ambæ exprimerentur, conſequtionis vitium, facilius

faciliùs deprehēderetur. *Aristoteles* vocat *Enthymema, Rhetoricum Syllogismum* : Enthymema verò, *Rhetoricam Inductionem*. Tamen, quia apud Dialecticos, bonum habent vsum, in illis explicandis (per Dei gratium) adhùc vt incæpimus, Progrediemur.

Inductio.

Fundamentum huius generis Argumētationis, est AEquipollentia generis & omniū specierum: itemque, *æquipollentia* specierum & omnium Indiuiduorum.

I*nductio* duplex est, S*ocratica*, per interogationes particulares, vt inde generale concludamus A*rist*. 1. *Topicor*. cap. 9. *&* D*ialectica*, quæ est, *cum ex rebus singulis, quæ sunt similes, res vniuersas comprobamus*, Ari*st*. 1. T*op*. *cap. vltimo*. Syl*logismus*, ex rebus vniuersis, singulas demonstrat: I*nductio* autem, ex singulis, vniuersas colligit & concludit. Huius posterioris, duæ sunt partes, A*ntecedens*, quæ ex rerum singularum coaceruatione constat, *&* C*onsequens seu Conclusio* quæ est generalis illa propositio, ex singulis rebus collecta & conclusa.

Inductio, alia est affirmatiua, alia negatiua.

Inductio Affirmatiua.

Vinosa Inductio.

Vinum Rhenauum calefacit,
Creticum calefacit,
Italicum calefacit,
Gallicum calefacit,
Hispanicum calefacit, ergo,
Omne vinum calefacit.

Et quoniam de nobili vino, de sanguinæ vuæ, Gen.49, hic loquimur, audite quæso de nobili hac Dei creatura, compotorum quorundã Glossam ignobilem, Glossa ordinaria multò deteriorem. *Noli adhuc (inquit Paulus) aquam bibere, sed (modicum) vini sumito, propter stomachum & crebras infirmitates tuas*, 1. *Tim*. 5 Quem Pauli bonum contextum, illi suo Glossemate malo, malè sic peruertunt. Non bibemus aquam sed vinum : & affatim & copiosè ex Pauli authoritate, hoc faciemus. Modium enim vini sumemus, propter stomachum scilicet, & crebras infirmitates nostras. Hi strenui potatores, Timotheo iuueni lãguido dissimiles, non (Modicũ) sed (Modium) vini habere volunt, propter stomachum (in malam rem) & crebras infirmitates suas.

Interim, notate quæso, quàm egregiè seipsos decipiant. Modius enim, est aridorum mensura, vt Amphora & Dolium, liquidorum. Arida verò temulentis non placent, sed liquida. Nouum & inauditum hoc metendi genus, vinum metiri in Modio. Itaque, si ex hoc loco sapere velint, Paulũ Apostolum, librariorum incuria malè deprauatum, integritati suæ & genuinæ

genuinæ lectioni restituant: artificioseque corradentes & expungentes (*Modicum*) pro eo, substituant (*Dolium*) sicque fortiter bibent athleticè, strenuè, & forsan plus quàm satis Non ego hic, nobilem Vini creaturam derideo, sed eius abusum vitupero: bonum & non adulteratum, summè laudo & extollo.

Vappa, vappa inquam scelerata, mihi non placet, vt neque Acidum delectat. Illud etiam (de quo conqueritur *Esaias*) *vinum tuum mixtum est aqua*, palato meo non arridet: de tali mixtura conqueritur *Esaias Propheta, Esai*, 1, & de tali mixtura conqueritur Argallus senex. Dicuntur Vinarii nostri (subdoli homines, illud si faciant) vinum suum generosum, aqua diluere solere, in quem finem, ipsi viderint. Christus, aquã in vinũ miraculosè mutauit, hi, vinũ in aquã fraudulter cõuertunt, imo peruertũt Ego, illorũ arcana hìc reuelare neque volo, neque possum. Sinant me obsecro iã senem, ad libitum meum diluere vinum meum, aut sibi ipsis reseruent, ad faciendum (*bad Vinegar*) si placet. Sin verò diluere velint, illud vobis iuuenibus potius quàm nobis, prouectioris ætatis senibus faciant, ne fumus & euaporatio, cerebrum vestrum conturbet, & sic Inuentioni & Iudicio vestro (quæ nostræ Dialecticæ precipuæ partes sunt) noceant & incommodent. Nollem vos à proficiendo sic retardari.

sed

Sed,sinite me adhuc(obsecro)paulisper progredi,quo vellem.O præclarum,nobile, & generosum vinum, scilicet aqua non dilutum. Stomachi crebras infirmitates tu corroboras languidum Timotheum tu iuuas , vinum (COS) vinum ex Falerno, vinum formosum, gratiosum, fragans, odoriferum, frigidum, friscum.Lac senum tu es, cor hominis lætificans,mæstos tu erigis,& pulcrè consolaris Vix me possum hic cōtinere,quin adhuc celebrem & extollam dignitatem,& meritas laudes tuas.

Sed,ne me senem delirare, & vino sepultum suspicemini, & Cremeti apud Comicum,seni temulento similem iudicetis , me reprimam, nolo longiùs exorbitare.Interim, hoc verè ausim affirmare,eius copiam haustam,vobis iuuenibus(quia nimis calefacit) plurimum nocere. *Vinum adolescentibus porrigere,est oleum igni addere.* Cauete igitur, ne hanc vinosam Inductionem legentes, plus qnam oporteat, bibatis.Nobis senibus,quàm vobis multò est salutarius, si benè caueamus.

Inductio.Negatiua.

Inductio negatiua,ritè confecta, valere potest,hoc modo.

Romulus, non patitur Remum fratrem

vter.

vterinum,

Cæsar, non patitur Autonium (Cleopatræ amasiam)

Absalon non patitur Edwardum. 5. *nepotem, ergo,*

Omnis potestas, impatiēs consortis erit.

Verissimum enim illud est, quod *Lucanus Poeta* olim cecinit,

Nulla fides regni socijs, omuisque potestas.
Impatiens consortis erit: nec Gētibus vllis **Lucan. lib. pri. Pharsal**
Credite: nec longè factorū exēpla petantur,
Fraterno primi maduere sanguine muri.

Inductio sufficiens & plena est illa, in qua potest ostendi exemplum diuersum. *Insufficiens* est illa, quando aut diuersa exempla, aut vnicum ostendi potest, in quo instare possimus. Cùm enim singularia sint infinita, sufficit præcipua adduxisse, addita formula solēni, *nec potest dari exemplum dissimile, ergo, &c.* I*nductio*, apertior est quàm Syllogismus, sensuumqne iudicio familiarior: *syllogismus autem*, vrgit magis, ad eòsque qui contradicunt refellendos, potentior, *Arist.* 1. *Topic. cap.* 8.

Exemplum.

Argumentnm ab Exemplo, hoc esse potest, vulgatum forsan, sed non despiciendū. *Marcus Attilius Regulus*, vitam potius amittere

quam

quàm fidem hoſti datam fallere maluit, ergo fides hoſti & inimico promiſſa, ſeruanda eſt. Profecto, vt quod res eſt dicam, fides Chriſtianorum, in rebus honeſtis & licitis, non eſt frãgenda, *nec conſiderandum cui, ſed per quem iuraueris, vt Hieronymus in* Ezechielem, *prudenter annotauit.* Iuramentum verò, ſanctorum nomine ſancitum, *Scriptura* nullibi approbat. Atque hoc auſim contra *Romanenſes* noſtros (quamuis iam ſenex) cõprobare, & argumentando & diſputando, defendere.

In Concilio *Conſtantienſi,* parùm conſtantes fuere *Papicolæ* fœdifragi: namque, cum *Ioanne Hus & Hieronimo* P*ragenſi,* hominibus piis, doctis, & verè religioſis, fidem ſuam fœde violarunt. I*taque* P*roteſtantibus* hæreticis (ſic enim hi belli homines nos vocant) fidem datam, non eſſe ſeruandam, ſeriò concluſerunt. Similem adhúc fraudem, *Romanenſes* noſtri retinẽt. Itaquè, cauete obſecro, quomodò illis aliquid promittentibus, *fidem* adhibeatis.

Obiectum olim Carth*aginientibus à veteribus Romanis,* quòd eſſent fœderis violatores. Hoc iam *Romanenſibus noſtris* nouis, ſimiliter obiicere poterimus, quod hi fidem ſuam nec liberent, nec curant. Audiant itaque. *S. Dauidem: Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*

Qui

Qui non fecit proximo ſuo malum, qui iurat proximo ſuo, & non decipit, Pſal. 15. Certè, niſi benè caueant, non requieſcent, in monte ſancto Domini.
Rurſus attẽdite, & mihi (*balbutiẽti ſeni*) parcite obſecro, ferè enim iã peroraui. *Exempli* huius, hoc, aliud Exemplum eſſe poteſt, ſi legere volueritis. *Chriſtus* Ieſus *orauit pro inimicis ſuis*: eius exemplũ *Stephanus* ſequutus, ſimiliter pro perſequutoribus ſuis orauit, ergo illorum exemplo, & nos pro inimicis noſtris orare, & exorare debemus, ſi vllo modo illis orando prodeſſe, & opitulari poterimus.
Habet hoc Argumentandi genus, plus momenti ad perſuadendum, quàm neceſſitatis ad concludendum. Idcircò, ſimpliciores qui ſyllogiſmis non capiuntur, exemplis capi & perſuaderi poſſunt: quippè qui ſenſu potius quàm rationibus fortioribus, edoceri poſsint. Sed cautè nobis ab hoc loco arguendum eſt: omnia enim non ſunt ſequenda, vt hoc: *Milo, miſſus eſt in exilium*, quia *Clodium occidit*, *ergo M.* Cicero mittendus eſt, ſimiliter in exiliũ, quia *Lẽtulum* occidit, hoc non cohæret. Magnum enim diſcrimen inter *Clodium & Lentulum. Lentulos, Cethegos, & Catilinas* (in patriam ſuam charisſimam) coniuratores peſsimos, olim fuiſſe legimus: de Clodio iſto, hoc non legimus. Talia frigida argumenta, *Cicero*
plum-

plumbeas pugiones appellare solitus est, tales scilicet quæ secare, penetrare, & diuidere non possunt, quia sūt obtusæ.

Lapsus patrum, hùc referendi sunt: quorū exempla, eo vsque sunt imitanda, quoúsque illi sequuntur Deum. Prudenter olim dictum fuit, *Legibus, non exemplis viuendum esse.* Sunt ergo omnia exempla quæcunque, ad bonos & honestos mores, ad sacras Dei leges & eius sancta mandata, restringenda vobis.

Dilucidam & perspicuam argumentationem faciūt, Exemplum, Similitudinisque collatio. *Exempla* verò, propria, & ad rem apta esse debent, & eiusmodi, ex quibus res controuersa meliùs intelligatur. Cuiusmodi sunt illa qui *Homerus*, non quæ *Chærilus* commemorat. *Sic enim notius erit & clarius, id quod proponitur, Arist.* 8. *Top.* cap secundo.

Hic Chærilus, poeta *Samius* fuit, ab *Herodoto* institutus, homo, indoctus, & tali præceptore indignus, qui *Alexandri Magni* res præclarissimè gestas, ausus est scribere, carmine indocto & ridiculo:

Scribimus indocti, doctique poemata passim.
Horat. epist. lib. 2.

Similiter, & Argallus noster (Londinensis) senex indoctus & delirans, Definitiones & Diuisiones, & Distinctiones, & Argumenta meditatur, & in anno suo pene Clymacterico & fatali

fatali, in mortis scilicet limine, scribit dialecticam. Quo genio aut ingenio, diiudicent Academici nostri. Quibus, hos meos labores, qualescunque fuerint, humiliter offero, consecroque in grati animi significationem, pro Munusculo. Vtque hanc meam *senilem Dialecticam*, in iuniorum & nouitiorum suorum vsum elaboratam, in bonam partem amicè & candide accipiant, submisse peto.

Sorites.

Sorites, est argumentandi ratio, qua prædicatum primæ propositionis sit subiectũ secũdæ, & prædicatum secundæ sit subiectum tertiæ, et sic deinceps, quasi per quandam *Catenam* alligatum et connexum, donec tandem vltimum prædicatum dicatur de subiecto propositionis primæ. Vocari solet hoc Argumentandi genus, *Stoicum*, quia a *Stoicis* putatur primò excogitatum. Cuius exemplum, inter multa alia, hoc vnum esse potest.

Crebrò conuiuari, præbet occasionẽ crapulæ,
Crapula, parit cruditatem.
Cruditas generat morbos,
Morbi accelerant mortem, ergo (à primo ad vltimum)
Crebrò conuiuari, accellerat mortem.

Hinc illud Hippocratis Coi, medici peritissimi

ſimi *plures periere gula quam gladio. Illudque Siracidis, propter crapulam, multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam, Sirac.* 37. D*iſſoluitur Sorites*, duobus modis primò, ſi omnes partes & connexiones non fuerint neceſſariæ, vt hoc ſequens ridiculum à combibonibus & ebrietati deditis, vulgò vſurpatum, vt,

Qui bene bibit, bene dormit,
Qui bene dormit, nil mali cogitat,
Qui nil mali cogitat, ſaluus erit, ergo,
Qui bene bibit, ſaluus erit.

Argumentum, compotoribus digniſſimum: ſimiles habent labra lectucas, Primò, huius lepidi ſoritis omnes connexiones, non ſunt neceſſariæ, Qui enim benè & ſtrenuè bibit. ſæpenumerò malè & inquietè dormit, ſecũdũ *illud Salamonis: Et erit ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo*, Prou. 23.

Hoc potius conſilium ſequendum, ego iudico.
Vt ſis nocte leuis, ſit tibi cœna breuis.

Scholaſticis pauperioribus, hoc non ſuadeo: ii etenim aut nullam cœnam, aut rariùs magnam habent: Pauperes ſcholaſtici, *Luculli* eſſe non poſſuut. Vobis hoc ego dico, iuuenibus barbatulis, *diuitum filijs*, qui nocturnis veſtris crapulis, & commeſſationibus intempeſtiuis nimium dediti eſtis. Profectò, hac *Aſotia* & intempe-

intemperantia vestra, memoriam (inuentionis *Thesaurum*) multum læditis. Immo, mortem intempestiuam acceleratis, *Atropòsque fatalis*, vitæ vestræ filũ citius abrumpit, quam vos putatis. Secundo, & illud falsum est, quod hi potatores indè consequi volunt, viz, *qui benè dormit, nihil malè cogitare*. Ego, è contra putò, multas cogitationes malas & turpes *Vẽtre & cerebro impletis*, carnem nostram malam mouentes & titillantes, per *Satanæ* fraudes & versutiam, in somno nobis sese offerre, quibus consentiendo & delectando, citiùs quàm par est, locum damus. *Nec possum* mihi adhuc persuadere, quin rationem peccati habeant, cuius generis (inter alta) sunt *nocturnæ Polutiones*, vt reliqua taceam. Quum itaque, huius lepidi Soritis partes, non sunt omnes necessariæ, tales male consequuntur, & in arguendo minimè valent.

Dissoluitur secũdò, Sorites, si eius omnes cõnex tiones, non sint Affirmãtes, vt, Exẽpli causa:

Geometria, non est Dialectica,
Dialectica, non est Rhetorica,
Rhetorica est Ars, ergo,
Dialectica, non est Ars, hoc non sequitur.

Doctissimus Keckermannus, vnam hic exceptionem admittit. Si enim bona & necessaria fuerit Prædicatorum negatiuorum cõnexio & vinculum, Negatiuos Sorites non esse

 simpli-

ſimpliciter reiiciendos putat. Vt, illud Pauli: *Afflictio parit patientiam, patientia experientiam, experientia ſpem, ſpes non confundit,* ergo afflictio non confundit. Ex *Paulo hoc deſumptum eſt, Rom.* 5. Eſt hic *Sorites*, negatiuus: attamen bellè ſequi & bene cohærere videtis.

*S*orites, ſimilis eſt huic primæ regulæ Anteprædicamentali, antea recitatæ, ſcilicet: *Quando alterum de altero, vt de ſubiecto inferiori prædicatur, quicquid de prædicato dicitur, illud omne de ſubiecto quoque dicetur,*, vt, homo eſt animal, animal eſt viuens, viuens eſt ſubſtantia, ergo homo eſt ſubſtantia.

Redigi poteſt *Sorites*, in ſyllogiſmum Categoricum, ſi minor vel ſecunda propoſitio, migret in locum primæ vel maioris propoſitionis, & maior eiuſdem, in locum ſecundæ vel minoris propoſitionis, vt,

	Bara	Omne animal eſt viuens,
Animal.	ba-	Omnis homo eſt animal, ergo.
	ra.	Omnis homo eſt viuens.

Hæc migratio, & trãſmutatio propoſitionum, diſputantibus facilis eſt labor, & non iniucũda recordatio. Et enim vt in *Ciuitate* diutiùs cõmorantibus, iucundum eſt aliquandò locum & *Aerem* mutare, & in *Tuſculano*, aut *Laurentino*

rentino rusticari, sic diù & intentè ratiocinantibus contingere solet: varietas enim multum delectat.

Ex meo propinquo Rure, hoc capio Commodi,
Neque agri, neque vrbis odium me vnquam percipit:
Vbi satietas cæpit fieri, commuto locum.
Laches senex, ex Eunucho Terentij.

Ista senis verba, hoc in loco (nescio quomodò) in mentē mihi venerūt, *& me senē*, scribendo & rescribendo, & mecum meditando & argumentando lassatum & ferè attritum, aliquantulum recrearunt. *Vos verò* Iuuenes antequā estis senes, aut saltem prouectioris ætatis homines quàm adhuc estis, *cessationem istam* expectare non debetis.

De Fallaciis

Fallaciæ aut in-

- Verbis.
  - Æquiuocatio vnius uerbi.
  - Ambiguitas totius orationis.
  - Coniunctio diſtrahendorum.
  - Diſiunctio coniungendorum.
  - Accentus, non rectè poſitus.
  - Figura Dictionis, ſeu externa forma orationis.
- Rebus.
  - Accidens, ſeu fallacia Accidẽtis.
  - Dictũ ex parte, pro Simpliciter.
  - Petitio Principij, ſeu quæſtionis controuerſæ.
  - Non Cauſa, pro vera Cauſa.
  - Plura rogata, pro vno poſita.

Quod verò ad hæc, ſeu Monſtta, ſeu nomina, Monſtroſa attinet, qualia ſunt iſta, Dilẽma cornutum, Crocodilites illaqueans, Pſeudomenos mentiens & diſſimulans, *Violentum* proprio laqueo (tanquam alius *Iudas*) ſeipſũ ſtrangulans, & huiuſmodi, non ſunt ita pertimeſcenda, vt ſcholaſticorum vulgus vulgò putat. Seu igitur ex *Africa* (vndè monſtra venire ſolent) ſeu à quacunque aliâ Mundi plaga & Orbis cardine hùc apportentur, nihil refert. Et adhúc addam, etiamſi *Protagoras & Euathlus diſcipulus ſuus* (quorum in arguendo ſubtilitas, à veteribus multum eſt decantata) contra

contra vos disputando, regerendo, & cauillando steterint, hæc monstrosa Argumenta & Argutiæ hinc deductæ, non sunt multum pertimescenda vobis, si volueritis. *F*acilè enim hæc omnia, & illis simillima quæcunque, dilui possunt, si in bonam Syllogismi formam redigantur. Hæc vnica admonitio, plurimos nodos, quamuis Gordianos, facillimè secat & dissoluit. Itaque hanc cautionem, præ cæteris, nullo modo à vobis negligendam, iudico.

Tenenda est etiam, hæc aurea Regula: scilicet, *Falsa esse neganda, vera concedenda, dubia & ambigua, citò esse distinguenda.* Dico rursus, cauete ne Paralogysmus crescat, *elidatur in semine.* Neque Opponentem progredi sinatis, antequam ambiguitatem sustuleritis, modò commòdè possitis. *S*itque, tam in Opponente, quam Respondente, amor & desiderium veritatis. Hæc vnica regula, auro terræ *Hauilah præstantior est, & tamen Aurum illius terræ, optimum est*, *Gen.* 2.

Vox ambigua, quàm sit almæ veritati inimica, omnique rerum bonarum insidiosa, omnes autores boni, *Cicero, Aristoteles, Boetius, methodicus* Galenus, & reliqui quos legere & inuenire poteritis, seriò & frequenter, ad nostram vtilitatem inculcare solent. Qua de re, pulchrã admonitionem habet Galenus, de *Methodo, lib.* 1, *cap.* 5. *Vita nostra* (*inquit*)

ambiguis est referta: Quæ, nisi distinguantur, necesse est tetris errorum tenebris, pulcherrimas rerum notitias, inuolui & perturbari.

Fallacia, in verbis.

1. AEquiuocatio verbi, qualis mala hæc argumentatio esse cernitur.

	Da	Quicquid loquitur est homo,
Loquitur.	ri.	Psittacus auis loquitur, ergo,
	j.	Psittacus auis, est homo.

Psittacus olim, *Cæsarem Imp.* his verbis salutabat, *Aue Cæsar Auguste.* Et quum Imperator, huius instructori nihil numeraret, avis edocta addidit, *Oleum & operam perdidi.* Est AEquiuocatio, in voce (loquitur) Itaque, maiori respondendum est, & dicendum, quicquid distinctè, articulatè, & naturaliter loquitur, est homo. Psittaci, Picæ, & Merulæ, similesque aues garrulæ & loquaces, hoc modo nō loquūtur: Argumentum igitur malum est, constans ex quatuor Terminis.

Eiusmodi *A*Equiuocatione, *R*omani (in declinatione sua, solitò deteriores) Antiochum olim deceperunt: cum quo pacti erant, de Nauium dimidio reddendo. Itaque, singulas naues dissecuerunt, & cuiusque dimidiam partem, dolosè reddiderunt. *S*icque lusit *Æsopus Mercurium* (ita enim legimus) cui ex

nucibus

nucibus, dimidium promiserat, postea nucleos comedens, Mercurio reliquit Cortices, & putamina. In his duobus exemplis, ambiguitas est in voce (*Dimidii*) quam, vna pars de *Dimiduo* summæ intellexit, altera de Dimiduo materiæ.

Ambiguitas totius Orationis: vt, interroganti Pyrrho, an vinceret Romanos, respondit Oraculum, 2.

Aio te Æacidæ, Romanos vincere posse.

Quæ oratio, non est Categorica, sed tota Ambigua. Nam, an *Æacides* (*qui est Pyrrhus*) vinceret Romanos, an Romani *Pyrrhum*, ambiguum facit. Romani, hanc Fallaciam & deceptionem, postea soluerunt ferro, Similiterque, cum inexplicabili illo nodo Gordiano, fecit *Alexander verè Magnus. Non enim patitur belligerans Mauors, lenta consilia.* Bonū est hoc solutionis genus, in Campo Martio, & expeditum, cum ad manus, melius non occurrat. *Non vacat, neque est Ocium, Legisperitos & togatos homines semper inter Arma consulere.*

Rursus, Oraculum præcedens (*posse*) dicit, possibilitatem quandam promittens, tempus certum & determinatum non designans, Redigatur in syllogismi formam, & tum faciliùs hic occultans, latro (ad decipiendum natus) deprehenditur: scilicet, Oraculo credendum est,

hoc eſt Oraculum ergo huic credendum eſt. Hæc maior eſt diſtinguenda: & dicendum, Oraculo Diuino credendum eſt, non Diabolico. *Nam Dii Gentium, Dæmonia, Pſal.95.* Minor etiam Ambiguaeſt, itaque concluſio ex talibus præmiſſis, rectè ſequi non poeſt. Romanenſes noſtri ſimiliter, ambiguè ratiocinari volunt, ſi eos quis malè & captioſè progredi permiſſerit, hoc modo.

Fides ſine operibus.	Da rap ti.	Fides, ſine operibus iuſtificat,
		Fides, ſine operibus, mortua eſt, ergo
		Aliquod mortuum iuſtificat.

Maiorem (pace illorum) ſic diſtinguimus: Omnis vera fides, ſine bonis Operibus (tanquam cauſis) verè nos iuſtificat, i, apprehendit iuſticiam Chriſti, qui eſt iuſticia noſtra: Minorem etiam negamus: Fides enim vera, nunquam eſt ſine bonis operibus, & ob eam cauſam, nunquàm mortua aut ocioſa eſſe poteſt. Non tamen fidem veram præcedunt, ſed (vt debent (ſubſequuntur. *Bona opera ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum, Auguſtin. de fide & Operib. Cap.* 14. *Tom.* 4. Romanenſium igitur de mortua fide, mortua concluſio non ſequitur, aut malè & contortè ſequitur, vt hic videtis.

Coniunctio diſtrahendorum: cuius exemplum, illud Siracides, *cap.* 38.1, aliqui producunt. *Honora Medicum propter neceſſitatem,*

ergo

ergo Medicus, tempore necessitatis (tantùm) est honorandus. Hæc (inquiunt) est fallacia Compositionis: iunguntur enim hæc verba (*propter necessitatem*) præcedentibus, cum ad sequentia potiùs pertineant, vt illi putant. Sic enim verba legi volunt: *honora Medicum, propter necessitatem etenim creauit eum altissimus.*

Huc etiam pertinet, illud patris senis, & filii sui à scholis domum reuertentis. Libenter experirer (mi fili) quomodò Oxonii profeceris. Hinc (mi pater) illud facilè cognosces, inquit filius. Habemus hìc (vt vides) oua tria: probabo ea esse sex. Perge, mi fili. Tria (inquit) oua, sunt vnum & duo: at tria, vnum, & duo, sunt sex, ergo hæc tria, sex oua sunt. Pater subridēs, benè (inquit) fili profecisti. Ego & mater tua, hæc tria comedemus, tu reliqua tria, sume in Cœnam tuam. Argumentum quippè istud, remuneratione & mercede dignum iudicamus. Solutio profectò, tali Sophismate dignissima. *Schol. Oxon.*

Porrò, si animaduertatis (iuuenes) huius fallaciæ nomen, seipsum prodit. Quandocunque enim aliqua coniuncta videritis, quæ distrahenda sunt, ad hanc fallaciam pertinere, confidenter concludere poteritis. Referri etiam potest, ad Fallaciam Accentus: Punctus enim & distinctio periodi, à vero suo loco & centro

est

est transmutatus.

4. Disiunctio coniungendorum, quale hoc est, quod hic subsequitur.

Da | Quicunque persequutionem patiuntur, sunt beati:
ri- | Romanenses persequutionem patiuntur, ergo
j. | Romanenses, sunt beati.

Omittitur in maiori propositione (*Propter iusticiam*) sic enim legi debet: *Beati, qui persequutionem patiuntur, propter iusticiam, Mat.* 5. Papicolæ verò, propter errores & hæreses suos incarcerantur, aut propter proditionem in patriam suam charissimam & bonum principem, cui in Domino obedire debent omnes, etiamsi *Nabuchadonoser* fuerit, aut aliquis Nero, quem *Paulus Leonē vocat*, 2. Tim. 4. *Occidi tales (proditores) possunt, coronari non possunt, nisi pœnituerint & recipiscant, vt Cyprianus Martyr loquitur, de Simplic. Prælator. Tract.* 3.

Monachus quidam olim, ex *Salomonis* Eclesiaste, sic lepidè argumentatus est,

Ce | Nihil est in hac vita melius, quàm lætari,
sa- | Nos Monachi lętamur, & iucundi sumus, ergo,
re. | Nil meliùs facere poterimus.

Salamon verò prudens, sic non loquitur, sed hoc modo: *nihil est melius quàm lætari & facere benè*. *Ecclesiastes*. 3, *Itaque* negamus maiorem propositionem, *Omisit Monachus* (*facere benè*) quodque fuit coniungendum, fraudulenter

dulenter disiungit. Faceti homines, pro Culina & Ventre disputantes: ex Comico scilicet didicerunt,

Sine Cerere & Baccho, friget Venus.

Sententiæ, quæ ex autoribus truncatè, mutilatè, & circumcisè, (vt vetus pater Irenæus loquitur) citari solent, ad has duas fallacias, Compositionis & Diuisionis, referri possunt. Quã fraudem & deceptionem, Diabolus, & hæretici omnes imitari solent.

Fallacia Accentus est, si quis syllabam breuẽ, cum longa confundat: vt, si nullam fecerit distinctionem inter leporem (*substantiam*) & leporem (*accidens*) quæ tamen hoc versu sequente, belle secernuntur. 5.

In syluis Leporem, ast in verbis, quære lepôrem.

Similiter, malum est fugiendum, ergo pomum est fugiendum, quia malum. Hoc in loco, quia de Pomo mentionem facimus, & vos Adolescentes, pomorum esu plurimùm delectemini, lapsus Adæ parentis nostri & Protoplasti, hic commodè meminisse poteritis, qui ex Pomi interdicti esu, nos omnes secum, eiusdem criminis reos fecit.

Adam, primus homo, damnabat secula Pomo, Nisi SEMEN benedictum, SEMEN inquam benedictum, interuenisset: Gen, 3. Adolescentes cum sitis, hoc ne obliuiscamini, obsecro. Namque, contra hanc pomorum crapulam & ingurgi-

gurgitationem, *hoc Alexi-pharmacum*, antidotum optimum & præstantissimum esse, ausim vobis certò affirmare.

Est etiam aliud, cuius vos hic admonitos esse cuperem, atque benè spero, (modò in rem vestram)me vobis faciliùs persuasurum. Sunt apud nostros Oxonienses Oppidanos, boni quidam & simplices (non *Machi*) *sed Mechanici homines*, *qui Pomaria* habent valdè pulcherrima, omnes generis fructibus adeò referta, vt *Adamum & Euam* rursus decipere possint, si nunc apud nos terrestres, viuerent, nisi meliùs cauerint. Non est vt vobis loca designem, aut digito ea demonstrem, vbi sunt. Vobis enim satis benè nota esse (si meministis)audacter ausim pronunciare. Sinite quæso possessores suos, aliqua poma inter vos possidere, omnia obsecro & singula, nolite auferre. Honesta est hæc petitio, negare non poteritis. Et ego vestro uomine, hoc spondere & *Stipulari* volo, proximo Autumnali tempore; cum Poma & fructus vestri rursus maturescere cæperint, (secundum consuetudinem nostræ Academiæ)iterum adfuturos, vestraque Pomaria presto visitaturos. Iason, validus iuuenis, strenuus & nobilis, ex vigilantissimi Draconis faucibus, Aureum vellus sustulit, & vitæ cum periculo , domum reportauit. Habet Academia nostra, etiam Iasones suos,

qui

qui neque vos, neque latrantes, vestros Molossos, verentur.

Augustinus pater, in Confessionum suarum libris, in Pomis aliorum suffurandis, furtum & crimen suum, dolendo & mærendo confitetur, vt vos (iuuenes) eius exemplo cauere & pænitere possitis. Sed vos adhuc, Augustini nō estis: satis est vobis (forsan) si in posterum, tales fueritis.

Aliud huius Fallaciæ vulgatum & tritum exemplum, hoc esse potest, melius enim nunc non occurrit. Omnis Ara est sacra, vel consecrata: Porcorum stabulum (cum aspiratione) est hara, sacra vel consecrata, igitur. Et, omnis iustus est æqus, Aristides est iustus, ergo Aristides est equus, & Caballus hinniens, Bucephalo, aut Bucke equo meo (quem nuper habui) aut Crabbe equo proximi mei nō dissimilis: quam fallaciam, hic sequens versus detegit planissimè.

Dixerat hic æquum, sed tulit alter, E*quum.*
Videtis Dypthongum mutare sensum, vt obseruantibus vobis, facile fuerit diiudicare.

Et porrò, notate quæso, quæcunque dicuntur per Mimesim, aut obiectionem & Ironiā à sensu proprio ad alium translata & retorta, ad hanc fallaciam Accentus pertinere, & referri possunt singula, quæcunque.

Figura Dictionis, seu forma otationis externa

terna, sæpenumero multiplicem errorem creat, propter *P*hrasæos Grammatices, & linguarum ignorantiam: quarum cognitionem, ego senex, nunquam habui. Namque, me puero, Hebraicæ aut Grecæ linguæ, aut Ciceroni fauentes, de hæresi statim, apud nos Oxonienses suspecti habebãtur. Hocque hæreticorum nomen inuidiosum, à proficiendo multum deterrebat nos.

Vos tamen (Iuuenes studiosi) eas nunc addiscite, si in posterum, docti theologi haberi velitis. Huius fallaciæ exemplum, hoc Romanensium esse potest. *Hæreticum hominem deuita*, *Tit.* 3. id est (vt illorum quidam interpretantur) *de hac vita* tolle, & igne combure. Hocque sic explicant, vt aliquem habeant S. *S*cripturæ contextum, quo nos Protestantes (quos Hæreticos hæretici vocant) comburendos & igne consumendos, comprobent. *P*orrò, vocabulum (*Deuita*) ac si *L*aniones essẽt, in duo frusta male secant, quod iungendum & conglutinandũ illis fuerit. *Maledicta Glossa, quæ textum corrumpit*: *Græca enim lectio habet*, παραιτοῦ *Tit.* 3. *versu decimo.*

Varia phrasis Hebraica & Græca, externè sumpta, apud imperitos, aliter sonat quam reuera est. Habent *H*ebræi suos *Habraismos*, & Græci Atticismos suos. Itaque omnibus Theologis, harum linguarum cognitiouem vtilem

tilem esse, *Augustinus, Hieronymus, Origenes*, & omnes docti arbitrantur : exceptis *Romanensibus*, qui cùm ipsi sint corrupti & impuri homines, ipsos fontes esse corruptos contendunt. Si fontes corrumpuntur (*O boni viri*) vos, vos inquàm huius impietatis & nefarii sceleris rei estis, qui eos tam màle & negligēter conseruastis.

Fallacia in Rebus.

Rerum Fallaciæ subsequuntur, quarum quinque genera vulgò recitari solent. Accidentis Fallacia, rerum prima sit; quæ est, quandò accidentia corporis & animi confusè, sine vlla distinctione & discrimine, coniunguntur : *vt Noe, perfectus fuit in generationibus suis*, & fuit ebrius, Gen. 6. ergo perfectus ebrius fuit. Et Petrus, Apostolus fuit, & frigidus, *ad Pontifici͏s prunas sese calefaciens, Ioan.* 18, ergo Petrus fuit frigidus Apostoius. Et, Demosthenes fuit Orator, & homo malus, ergo fuit malus Orator. 1.

Hęc fallacia, porest etiam ad fallaciam Compositionis referri, quia hìc ea coniunguntur, quæ disiungi & separari debent.

Porrò, & hoc notàri potest, verbum (*frigere*) esse ambiguum: frigidus orator is dici potest, qui parùm vehemens est, vt de Theophrasto

&

& eius diſcipulis, *notat M. Cicero, 1. Officiorum.* Et frigidum (ſine Metaphora) contrarium eſt calido.

Antedicti Demoſthenis leuitatem & corruptelam, Plutarchus, in hunc modum pulcrè depingit. Polo cuidam hiſtrioni, aliquando ad Demoſthenem dicenti, *biduo certamine, ſe Talentum pro mercede retuliſſe*, reſpondit, *ego quinq; Talentis, vnius Diei ſilentium vendidi. Plutarch. dec. Orator. vita.* Excuſabat ſilentiū ſuum, quod laborans Angina, loqui non potuerit. Non laborabat Angina, ſed *Argent-Angina*, vt alius de eo lepidè & ſalſè pronuntiabat. Habet hæc noſtra (ferroteſtacea) ætas mala Dan. 2. plures *Demoſthenes*, hoc morbo contagioſo, mâlè laborantes.

Demoſt. Angina.

Dictum ex parte, pro ſimpliciter: vt, *Æthiops eſt albus* dentibus, ergo AEthiops eſt albus ſimpliciter, In ſyllogiſmum redigamus, & tum Elenchum vt furem, faciliùs deprehendemus.

Quicunque eſt albus dentibus, eſt albus ſimpliciter,
Æthyops, eſt albus dentibus, ergo,
Æthyops, eſt albus ſimpliciter.

Nego Maiorem propoſitionem, nam ea non eſt vera. *Apud Tribalos*, patrē ſuum immolare, laudabile eſt, ergo ſimpliciter hoc eſt Laudabile, hoc conſequens, inconſequens eſt,

ex hoc loco, vid. *Arist.* 2. *Topicor.*

Hi Tribali (vt illud vobis hic expediam) populi ſunt *Thraciæ*, quæ Ditio, nunc *Romania* nominatur, & ad *Europam* ſpectat, qui vſque ad Iſtrum flumen, fines ſuos dilatant & producunt.

*S*imiliter, in *E*piſtolis *Pauli*, quædam *intellectu difficilia ſunt*, *Vt Petrus teſtatur*, 2. *Petr.* 3. ergo Scriptura eſt ſimpliciter difficilis, & per conſequens, à *L*aicis hominibus (*quos Canes & Sues vocant Romanenſes noſtri*) non legenda, aut intenſiús meditanda. *Hoc Sophiſma* vocatur à *Barth. Kekermanno*, à *L*imitato ad non limitatum. Et tale eſt hoc *Anabaptiſtarum* (quos nulla *Reſpublica* tolerare poteſt) furioſorum & fanaticorum hominum.

Fe-ri-o. | *Quod eſt abrogatum, non valet,*
Vetus Teſtamentum eſt abrogatum, ergo,
Vetus Teſtamentum non valet.

Eorum minor *L*imitanda eſt: Vetus namque Teſtamentum eſt abrogatum, non quoad Subſtantiam, ſed quoad Accidentia & Circũſtantias, Itaque, captiòſe & ſophiſticè arguunt, & ab hoc loco redargendi ſunt.

*P*etitio *P*rincipii, ſeu quæſtionis controuerſæ, eſt quùm ignotum aut dubium, probetur per æquè ignotum et dubium: ſic itaque aduerſarii noſtri, contra nos ratioçinantur.

Sancti Mortui, nostras cogitationes norunt, ergo,

Sancti Mortui, à nobis inuocandi sunt.

Nego antecedens: nam, an Sancti Mortui, nostras cogitationes cognoscant an non, inter nos controuertitur, hæc questio est. *Augustinus* Pater, negare videtur. *Si inquit, rebus viuentium imteressent mortuorum animæ, meipsum pia mater, nullo modo desereret. Sed profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est, quoniam pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me, ex Psal.* 26. De cur, *pro mortuis, Cap.* 13.

Similiter, Episcop. Romanus, iure possidet magnam *Italia partem*, quia magna *Italia* pars fuit ei à *Constantino Magno* donata, vt somniant Romanenses nostri. Sed illud quæstio est, an talis Donatio vnquàm fuerit, annon.

Ordinaria in Ius *Canonicum Glossa*, hanc Donationem (Paleam) esse pronunciat. Et, si concedamus talem *Donationem* vnquam extitisse, non tamen valere, magnus *ille Iurisconsultus Bartolus* affirmat, *in Proemio Digestorum*. Itaque, aduersarii nostri, *principium* petunt et nugantur. Solidius argumententur, si docti homines haberi volunt, neque hoc modo, pretiosum tempus ociòse conterant.

Non causa pro causa, adhuc restat explicanda nobis, quæ est, quando Causæ per accidens

adducuntur

adducuntur tanquàm veræ & genuinæ causæ: vt, Diues ille apud *S. Lucam* damnatus est, ergo diuitiæ damnant homines. Respondendum est, diuitias non esse illius damnationis causam, sed earum abusus. Similiter, vinum inebriare solet, ergo vinum est malum. Respondendum, vinum per se, hoc non facere, sed immodicum eius vsum. Benè igitur Chrysostomus, *Non vinum, sed ebrietatem crimineris, in Mat, 17. Homil, 59.*

Rursus, ex lectione *S.* scripturæ, nascũtur hæretici, ergo *S.* scripturæ non sunt legendæ Laicis. In syllogismum redigamus, tuncque Elenchum hunc & paralogysmum clarius perspicietis.

Da	Quodcunque gignit hæreses, fugiendum est,
ri-	Scriptura gignit hęreses, ergo,
j.	Scriptura est fugienda, & non legenda laicis.

Nego minorem propositionem. *Scriptura* enim, hoc non facit propriè et per se, sed nostra ignorantia: *Erratis, nescientes scripturas, Ioan, 5. Dices non legi: non est hac excusatio, sed crimen, Chrysostom in Hebr. Homil.* 17.

Hoc eorum argumentum, in illos sic retorquemus: docti olim homines, fuerunt, vt *Nouatus Pellagius, Arrius, Macedonius*, similesque Hæretici: qui ex Scripturis malè intellectis, turpiter & periculosè errarunt, ergo sacræ literæ non sunt à doctis legendæ, & per consequens

nec ab ipsis Romanensibus, quamuis magistri (Nostrandi) & magni *Rabbini* vulgò existimētur. *R*espondemus itaque vt antea, Scripturas non esse errorum veras & iustas causas, sed nostram ignorantiam, & cognitionis imbecillitatem: *adhuc enim cognoscimus ex parte*, 1. *Cor.* 13. Profectò, cognoscimus ex parte, & minùs cognoscimus, quia pauperes sumus, & illis Mediis destituti, quibus docti & literati esse possimus. Itaque, quicunque volunt Ministros verbi Dei, ex puris Eleemosynis viuere & familiam sustentare, parùm considerate loquuntur. Loquuntur *pro seipsis*, *pro Ecclesia & Doctrina non loquuntur*. Atque, vt iam finiā: Plura Rogata, pro vno posita, sunt, quandò plura simul interrogamus, ad quæ non possumus rectè respondere, nisi separentur: vt, an Duo & tria sint paria vel imparia? *An Iacob & Esau, au Cain & Abel*, sint boni an mali homines? Tales interrogationes friuolæ sunt & captiosæ.

Optima regula est, & omnium facillima, Aduersarium disputantē iubere, & etiam vrgere, *Argumentum suum, in syllogismi* formam bonam redigere & disponere. Hoc etenim est Dialecticè, & formaliter disputare. Tunc Paralogysmi, & *D*eceptiones omnes, multò faciliùs nobis innotescent. Itaque, ad maiores nostros in vera doctrina progressus, & ad veritatem

tatem citiùs inueniendam (in quam omnes boni & ingenui homines, sedulò incumbere debent) hanc nobilem regulam ne contemnatis, sed in memoriam vestram recondatis, etiam atque etiam vos obsecro.

Sed, vt videtis, sol Horizontem nostrum reliquit, Nox appropinquat, *& Zantippa ad Cœnā* vocat: cui, si non actutùm paruero, actum erit & de Cœna mea, & amicitia nostra. Heus tu bone vir, cur non properas? Properandum videtis, bis vocor. Iam venio. charissima & suauissima Coniunx. *Responsio mollis, frangit iram sermo durus. suscitat furorem, Prou.* 15. Nolo ego (qua nunc sum mente) furorem vxoris meæ prouocare. *Crabrones irritare, non est tutum.*

Quocirca, vt Aristoteles dicit, quoniam vitiosæ & iniquæ concertationes cum quibusdam futuræ sunt necessariò, prudenter videndum quibuscum disputamus. Neq; enim cum rixosis contendere debemus, nec quemlibet in societatem exercitationis recipere, vt Arist. prudenter admonet, 8, Topic. cap. 5.

Concludamus cum Oratore Romano, disputantium inter se reprehensiones, non sunt vituperandæ: maledicta, contumeliæ, tùm iracundæ contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces, indignæ philosopho, mihi videri solent. Tūc Torquatus inquit, prorsus assentior. Neq; enim

disputari

disputari sine reprehensione, nec cum Iracundia aut pertinacia, rectè disputari potest, Cicer. *de finib. lib. pri.* Candidis & sedatis animis discep temus, quæso vos, & obtestor in domino.

Ira furor breuis, animum rege, qui nisi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Valete, Iuuenes optimi & suauissimi, & rursus dico, in Domino (optimi) optime valete. Anno à verbo Incarnato, 1605, & serenissimi totius Britāniæ regis Iacobi, prudētissimi, doctissimi, & religiosissimi principis, per Dei gratiam, tertio.

*S*oli Deo nostro, laus omnis, honor & gloria, in omnem æternitatem, Amen.

Ioannes Argallus, rector Ecclesiæ
parochialis de Haleswoorth,
apud Suffolcienses
dixit.

Quicquid in Saeculo peruersorum dogmatum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subuertitur, & instar Incendij, in cineres, fauillasq́; dissoluitur: vt probetur nihili, quod putatur esse fortissimum, Hiero. in Ezech. cap. 25.

Disputationis Disciplina, ad omnia genera quaestionum, plurimùm valet. Tantum ibi cauenda libido rixandi, & puerilis quaedam ostentatio decipiendi Aduersarium. August. lib. 2. de Doctr. Chri. cap. 33.

Hanc, Ioan. Argalli (S. Theologiae Baccalaurei) breuem & succinctam Dialecticam, legimus & benè approbamus. Et, quia plana & perspicua est, porrò, hic illicque salibus & facetiis aspersa, *Nouitijs & Tyronibus vtilem fore*, & lectu non indignam iudicamus.

Ro. Redmayn.

Io. Maplizden, Arch. Suff.

Io. Aldrich.

Excudatur.

Rich. London.

In Paſſionis Prædicamento, hæc interponenda ſunt pag. 40.

Patitur animus, patitur corpus, ægrotat animus, ægrotat corpus. Ægrotat crumena mea, ſæpius quàm vellem, ex quo morbi genere, vos quæſo quorum Marſupium ſimili morbo laborat, Indicate.

Inter fallacias verborum, in AEquiuocatione verbi pag. 170.

Quis expediuit Pſitaco ſuum χαῖρε
Picaſque docuit noſtra verba conari?
A. Perſii, in Satyras, prologus.